



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Clericorum Cvm Foeminis Cohabitatione, Licitane Ea
Sit An Non, Tractatus Ethicvs**

Bossem, Matthias van

Dvaci, 1586


urn:nbn:de:hbz:466:1-45844



Th. 2579.

j VIII
24





DE CLERICORVM
CVM FOEMI-
NIS COHABITATIO-
NE, LICITANE EA SIT
AN NON, TRACTATVS
ETHICVS, IN QVINQVE DISTIN-
CTVS SERMONES, OMNES IN PANEGY-
RICO ALMÆ ACADEMIÆ DVACENSIS
CONSESSV HABITOS, QVANDO SEX CRE-
ANDI ESSENT SACROSANCTÆ THEOLO-
GIÆ MAGISTRI.

*Autore Mathia Bossemio Amsterodamensi,
primario in celeberrima Vniuersitate Duacensi
diuinarum literarum interprete, eiusdemque
vniuersitatis Cancellario.*

Cætera indicabit conuersa pagina.




DVACI,

Ex officina Ioannis Bogardi, Typographi
iurati, sub Biblijs aureis.
M. D. LXXXVI.

Eiusdem autoris de stupidissima & vera idololatria, quæ quondam apud ethnicos fuit, hypocoristica interpretatione, eademq; fraudulenta, & falsa, oratio catholica contra I. Caluinum hæreticum.

Eiusdem oratio quædam scholastica, de speciali dei auxilio, quod nisi præsto adsit hominibus, quomodo in accepta illi semel iustitia perseverare non possint ad finem: & quomodo hoc deus auxiliū iustificatis non subtrahat, nisi quando ab eis prior ipse fuerit desertus.

Eiusdem ad novitios theologiæ tyrones oratio parænetica, qualiter comparatus esse debeat, qui recte euangelio studere cupit.



D. V. A. G.
Königl. Universitäts-Bibliothek
Paderborn



VENERABILIBVS

DOMINIS, DN. DECA-
NO ET CANONICIS, TOTI-
QUE CLERICORVM CHORO
INSIGNIS ECCLESIAE SANCTI
AMATI DVACENSIS, MATHIAS BOSSE-
MIVS AMSTERDAMENSIS, EIVSDEM
ECCLESIAE PRÆPOSITVS, GRATIAM
PRECATVR ET PACEM.

S AT scio, venerabiles do-
mini, & fratres in Chri-
sto dilectissimi, recenti vos
adhuc tenere memoria,
quomodo quando pauculis
aliquot abhinc mensibus,
hac in alma vniuersitate Duacensi, sex simul
lectissimi quidā viri, ad sacrosanctā theolo-
gia promouendi venirent magisterium, esseq;
propterea ex laudabili consuetudine, omnibus
omnino magistris nostris, alystunc aliud agē-
dum in schola, ego in multiplici illa actione sic
menm

Ay

menm

ĒPISTOLA

meum voverim dolium, sicq; meis utcumque fuerim defunctus partibus: ut quinquies dicere de cohabitatione fæminarum cū clericū. Nemp̄e talibus, ut tunc agebantur, in conuentibus, & tales, ut tunc auditum fuit, dum alij alias omnes grauiſſimas eloquenter, et copioſe diſſertarent materias: ego iſſo de infami, & ſterili, muliſq; noſtri ordinis hominibus plurimum inuiſo cū dicere inſtituiſſem argumento, idq; ſapius, quid aliud ſuſpicari poterā magis, niſi quod pleriq; aliud pene nihil, quam cum Diogene quopiam vacuū aliquod, & inamænum ſqualidumq;, ac ſordidum verſare dolium cenſerer. Nihilominus ſic, præter opinionem, diſſio multorum commouit animos auditorum, fortè propter nouitatem (ut in ſcholæſticiſ quidem ac̄tionibus) quamuis in re vna omnium antiquiſſima: ut non defuerint neq; regulares neq; ſeculares clerici, qui ac̄tionis præſolari non ſuſtinentes finem accurrerent, & ut quiſq;, à nobis ſermo prior eſſet profuſus, ita ilicò eius ſibi deſcribendi, ſi fieri poſſet, copiā inſtanter me flagitarent. Res principio nonnihil mihi erat ſuſpecta. Attamen inſtare illi nō deſinebāt, & quidē eo animo & zelo, ut quod in ſchola nō niſi ſemel audire datum fuerat, id ſi fidelibus literarum conſignatū habe-

habere monumentis, certiorē apud se domi, ac
 foris apud alios, meditari quandoq; possent ex-
 ecutionē et praxin. Sic enim loquebātur. Quē
 quidem feruorē cū ad cōplures postea animad-
 uerterem & dies, & dicrū durare hebdoma-
 das, etiam apud diuersarum facultatum licen-
 tios: committendum non putauī, ut talibus
 pertinaciter votis deessem. Caterū uno semel
 communicato exemplari, dum alia postea (ut
 fit) extraherentur de alys, periculosos rescui
 per manus scribarū obrepere cēpisse errores.
 Quod sanē & mihi et aliquibus alys, si obuiā
 itum non esset, fraudi esse potuisset non mini-
 ma. Huic ergo ut occurrerem incommodo, ar-
 reptas scripturas diligentius recognoui, atque
 ita tandem ad chalcographiam descendere au-
 sus fui. Nam & antea doctissimi quidam ho-
 mines, ydemq; reipub. Christiana in primis
 studiosi, illud ut facerem, ultro fuerant cohor-
 tati. Alioqui verebar plurimum, nec adhuc ve-
 reri omnino desisto, ne illorum scripturientiū
 forem de numero, aut sim, quorum ingenium
 non optimē conformatum, optimē suis olim co-
 loribus depinxit S. Maximus. Ωσπερ οἱ γο-
 νείσ τῶν σομάτων, προσπάσχει τοῖς ἐξ αὐ-
 τῶν γενομένοις: οὕτω καὶ ἡ ψυχὴ φυσικῶς τοῖς ἐαυ-
 τῆς προσκίτται λόγοις. καὶ ὡσπερ τοῖς ἐκείνων ἐμ-
 βαθε-

A iij παθε-

ΕΠΙΣΤΟΛΑ

παθετέροις, καὶ πάντως κατὰ πάντα ὧσιν οἱ
 παῖδες καταγελαστότατοι, πάντων φαίνον-
 ται ἐπιχέστατοι καὶ εὐμορφότατοι: οὕτω καὶ τῶ ἀ-
 φρονι νῶ οἱ αὐτῶ λόγοι, καὶ πάντων ὧσι μοχθη-
 ρότεροι, πάντων φαίνονται φρονιμώτεροι. τῷ δὲ
 σοφῷ, οὐχ οὕτως οἱ ἑαυτῶ λόγοι: ἀλλ' ὅταν δό-
 ξῃ πληροφροεῖσθαι, ὅτι ἀληθεῖς εἰσι καὶ καλοὶ:
 τότε μάλιστα οὐ σιγᾶσει τῇ ἑαυτῶ κρίσει: ἀλ-
 λ' ἄλλως σοφοὺς τῶ ἑαυτῶ λόγων καὶ λογι-
 σμῶν κριτὰς κατίσῃσι, μὴ εἰς κενὸν τρέχῃ ἢ
 ἔδραμε, καὶ δι' αὐτῶ τιν' βεβαίωσιν λαμβά-
 νει.

*Exprimamus verba de verbis, quāvis non
 pari cū venustate & gratia. Sicuti parentes
 corporum, vehementer ex se natis afficiuntur:
 ita & mens naturaliter suis ipsius vehemen-
 ter est addicta sermonibus, orationibus, & ra-
 tionibus. Et quomodo quibus inter tales paren-
 tes talis est ardentior affectus, his proles sua
 omnium videntur esse modestissima, & for-
 mosissima, etiamsi per omnia omnium maxi-
 mē sint deridicula: consimilem in modum &
 menti insipienti sui ipsius sermones, orationes,
 & ratiocinationes, etiamsi omnium fuerint
 deterrima, omnium tamen apparent sapien-
 tissima. At verò homini sapienti haud ita sui
 sunt sermones. Sed quando plenè sibi persua-
 sum*

DEDICAT.

4

sum apparet, veros eos esse, & elegantes, tunc maxime suo ipsius non credit iudicio: sed alios sapientes, sermonum suorum, cogitationum, seu rationum constituit iudices, & per illos accipit confirmationem: ne in vanum currat aut cucurrerit. Quum igitur sic nata res ^{Gal. 2.} esset, hac ut iam à nobis materia studiosis ubique omnibus publicam in lucem, communemque in usum prodire debere videretur: non incongruum fore sum arbitratus, si opusculum peculiariter ecclesie S. Amati dedicarem: quando ecclesie isti quid, quantumque debeam peculiariter, stupidus essem, si ne scirem: ingratus, si non modis omnibus vicem rependere conarer: tunc praesertim, quando insignis aliqua se offert occasio. Nunc autem ita euenit, ut ex praestantissimis illis viris sex, qui nuper, ut dixi, in summa vniuersitatis facultate, laurea insigniendi prodierunt doctorali, tres sint, ecclesie S. Amati presbyteri canonici, ut bonis illi omnibus propter eximias, quibus eos deus, & natura ornauit, virtutes pergrati, ita mihi quidem certe in primis semper carissimi, etiam tum, quando in collegium nostrum notandum essent cooptati. Accedebat quod non ita pridem illustrissimus dominus comes, & episcopus Vercellensis, nuncius apostolicus, Duacum cum potestate

A iiii

lega

EPISTOLA

legati profectus, praclara quadam obtulerit
nobis decreta: ex quibus praeter alia, & illud
facile odorari licuit, quanto opere beatissimus pa-
ter noster pontifex Romanus, cuius gubernati-
oni immediate nos subiectos esse gloriamur,
exoptet, ut clerici ad antiquam suam rener-
tantur singularitatem. Sic enim (ut nostis) ille
olim appellauit, qui in operibus gloriosi marty-
ris Cypriani illum composuit librum, in quo
diuinitus reuelatum esse docetur, ne sacerdotes
cum faeminis commune habeant contuberniu.
Hic tamen quis mihi tandem facile negare au-
sit, fieri posse, ut quemadmodum alibi, ita &
in numerosa ecclesia S. Amati existant, qui-
bus fortasse rigidiusculum esse appareat, quod
inter alia, de separatione mulierum, nobis pro-
ponebatur decretum: quique propterea talis oc-
casionis ad nonnullos inobedientiae quandoque
motus, aut murmuris, ab eo qui tentat, concu-
tari non nihil incipiant? Verum enimvero isti
hunc si nostrum vel semel perlegerint non osci-
tante tractatum, videbunt apertissimè, qua-
ta, ad istum ipsum quod attinet articulum, san-
ctissimus dominus noster circa nos utatur mo-
deratione, quantumque illi tribuat siue clemen-
tia, siue aequitati, quae eleganter & proprie à
Graecis appellari consuevit $\epsilon\pi\tau\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma$, propterea
quod

DEDICAT.

5

quod apud viros bonos virtus ista efficere amet,
ut alter ad alterius condescendens interdum pro-
ximi sui infirmitatem, de suo æconomicis non
nihil decedat iure, iurisq; rigore. Nimirum sic
illustriß. nuncius, quod medium hac in re erat,
benignè nostræ proposuit infirmitati: ut & pa-
tièter sanctissimus dominus noster expectare
ad tempus, et prudenter interea tentare voluisse
existimari queat, nunquid non ita talis medi-
um, post paternam auditam commonitionem bene per-
pensa facilitate, tandem aliquando id sponte nostra
facturi simus plerique, omnes, quod quidam &
apud nos, & alibi, iam inde ab annis non paucis,
sine ullo tali hortamento meditari ceperunt, atq;
etiamnum constanter faciunt. Quid illud est?
Nepè ut ita inevitabile per medium, veluti per
pontem quandam, ultro καὶ αὐτομάτως de altero
extremorum, que pene promiscua nimirum, apud
omnes propudiosa simul & scandalosa erat
licentia, suaviter transseamus ad alterum, quod
iam (ut ille nominabat) præcisa nostra fuerit
singularitas. Ad quod quidem extremum poste-
rius, iuxta cõcordem sanctissimorum patrũ, sum-
morumq; pontificum doctrinam ac placita, studiosum
lectorem nostri hi deducunt sermones. Cumq;
isti, quos dixi, homines fortassis infirmiores,
præter omnem opinionem suam, talem uno in
decre-

EPISTOLA

decreto isto semel deprehenderit aequitate: an non merito cogitare mox poterūt consequēter, qui & cetera dedit mandata, eum in ceteris sui nō fuisse immerorem: etiam si hoc ipsi necdum ita in omnibus clarè perspiciant: ideoq; iustissimum esse, ut omni quàm longissimè proclato spiritu contradictionis, promptè & alacriter in auditu auris, obediant semper in omnibus? Mihi quidem tali semel animaduersa aequitate, talibus decretis, vel cæcā per obedientiam, parere semel estō decretum. Alio-

1. Pet. 2.
Tit. 3.

qui cū per os nobis prædicetur apostolorum, hanc esse gratiam in Christo Iesu domino nostro, ut principibus, aut regi ducibusue ab eo missis, Christiano nomine qui censetur, firmus subiecti. dictoq; audiētes, etiam si eos idolatras esse contingeret, & discolos: atque id ipsum ipse dei filius, quando descendisset de cælo, non solūm doctrina, sed ipso etiam sanctissima sua vitæ nobis comprobauerit exēplo: quid mihi misero, hæc qui alijs, quia sacerdos sum, commendare in professo habeo, in illum tandem diem expectandum relinqueretur: si summi dei sumo in terris vicario, ducibusue ab eo ad me missis pientissimis, quo minus alacrem ilico declararem subiectionem, huiusque humilitatis primogenitum lubenter offerrem
fru.

fructum obedientiæ, meas per tergiuersiones
 procrastinare non vererer? Quanquam qua-
 lis tandem hæc mea fuerit obedientia; si semper
 superioris statuta studiosius discutere velim, si
 hæream ad singula, si de quibusq; exigam ratio-
 nem, & malè de omni suspicer præcepto, cuius
 me causa latuerit, nec vnquam lubenter obrè-
 perem, nisi cùm audire contigerit, quod fortè
 libuerit, aut quod nõ aliter licere, seu expedire,
 euidenter monstrauerit vel aperta ratio, vel
 indubitata anthoritas? Sanè cū scriptũ tenea-
 mus, *Qui vos audit, me audit: & qui vos*
spernit, me spernit: quicquid vice dei præ-
cipit homo, quod non sit tamen certum displice-
re deo, haud secus omnino accipiendum est, quã
si præciperet deus. Quid enim interest, virũm
per se, an per suos ministros, siue homines siue
angelos, hominibus proponat suũ placitũ deus?
 Frustraque de obedientia sibi blanditur, quis-
 quis occultè satagit, vt quod vult ipse, hoc ei
 prælatus iniungat. Iam verò si (quod sperare
 debemus) illiusmodi post considerationẽ, simi-
 lis vt indicauimus & animus similiter toti
 adfuerit fraternitati: videt iam venerabilis
 dominus decamus, videntq; cum eo simul exe-
 cutores reliqui, quanta quamq; alioqui varia
 in officio sibi per illustrißimum dominum le-
 gatum

Bern. de
 præc. &
 dispens.

Luc. 10.

EPISTOLA

gatum iniuncto, subleuati erunt molestia. Videre præterea clerici Amatenſes non obscure poterunt omnes: qualis & quanta confidendum sit fore, ut in ecclesia perpetuis temporibus floreat pax. Quod bonum naturali instinctu mortales tanti semper facimus, tamque auidè desiderare semper, si absit, & si adsit, tantopere adamare solemus & complecti semper omnes: sed boni benè, peruersi peruersè. Absit enim ut à quoquam ex nostris pax esse credatur, quando (exempli gratia) latrones, principis potestate, legibusq; contemptis, pro sua impotenter libidine agunt & ferunt, grassanturq; ut volunt: etiamsi ad tempus secura quadam id faciant cum tranquillitate: cum

Esa. 48.
& 57.
De ciuitate dei
lib. 19.
cap. 13.

scriptum sit: Non est pax impijs, dicit dominus. Pax siquidem, definitore sancto Augustino, ordinis est tranquillitas. Ordo autem illa spectatur in dispositione, quæ paribus disparibusque rebus suum cuique tribuit locum. Pax ergo vera, paxque sancta, ita demum sit oportet in cunctis hominum legitimis societatibus: si earum debitus constiterit ordo, ipseque ille ordo rectè fuerit tranquillus. Rectè porro tunc tranquillus existit, & durat, quando suus quisque loco benè contenti omnes, illi quidem qui præ sunt, & præesse debent, nihil quod iniustum

DEDICAT. 7

in flum sit imperant: qui verò subsunt, & subesse aebent, nō illubenter neque grauatē, sed hilariter imperata capessunt. Quod quidem ut ita faciamus, & facientes perseuerare velimus, est quod non minimum animos nobis nostros impellat, si sapiculē apud nos recogitemus: quomodo, quod idem sapiētissimē scripsit S. Augustinus, qui in ciuitate dei, quae est ecclesia eius, praesunt alijs, quod imperant, non more gentilium, qui deum ignorant, cum dominādi imperent cupiditate, sed ex officio consulendi: nec cum principandī superbia, sed ex prouidēdi misericordia. Etenim ex quo homo, cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, tale nobis imperium, multis nominibus, extremē cōpit esse necessarium, in quo sic alij subiecti essemus alijs, homines hominibus, licet naturali conditione pares, ut sine, ad quem conditi sumus, si potiri vellemus siue naturali, siue supernaturali, alij aliorum consulendi iuuaemur officio, & prouidendi promoueremur misericordia. Quod superest, vēstram ego hic iam, dilectissimi confratres omnes, vehementer exorata cupio humanitatem, ut quod ad promouendam, iuuandamq; ecclesia adificationem

Eodem
l. cap. 14.

EPISTOLA

tionem syngramma offerimus, non alio vos munusculum hoc nostrum cum animorum recipiatis affectu caritatis, quam quali à nobis enim cordis offertur sinceritate. De qua quid sit, quādo multorum iam annorum ipsa nostra inter vos continua satis (ut arbitror) arguat conuersatio, nihil attinet dicere. Iesum verò Christum, deum opt. max. et amicum eius singularem, sanctum Amatum, apud thronum gratiae, patronum nostrum peculiarem, ex intimis, omnibusq; animi mei praecordijs, enixissime deprecor, ut sic in militante hac nunc ecclesia subluari nos omnes semper, ille iuuādo, hic suffragando, militantes conseruent sine casu, & plagis latalibus, ut olim quando periculosa erimus perfuncti militia, inuicem tunc facies nostras, in triumphante quoq; contueri possimus ecclesia triumphantes ibi & ipsi cum Christo, cum beato Amato, et cum sanctis alijs omnibus. Namq; illa demum in ecclesia superlunari bonum pacis, quo & in rebus nunc terrenis, atque mortalibus, nihil à nobis gratum solet audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo melius inueniri, in tātum redūdat: ut quaecunq; sub sole, quantumcumque etiam sancta & magna potest haberi pax temporalis, ad illam collata finalem atque eternā,

pro-

Augu. de
citt. dei
ls. eodem
cap. 10.

prorsus pugna quadam, bellum quoddam, &
 quadam adhuc reperiatur esse miseria. A deo
 ingens illud erat, quod quando de triumphan-
 te ecclesia, cælesti illa Ierusalem, cantaret pro-
 pheta Dauid, tunc cecinerit, quod deus fines
 eius posuerit pacem. Quocirca hoc, quod indi- Psa. 117.
 caui, si vicissim imbecillitati meæ permagna
 deprecandi officium vestra omnium (ut opto)
 non cessauerit impendere caritas: illa iam vni-
 ca mea sit portio, in hac interim morientium
 terra, & à vobis retributio magna nimis. Ne-
 que enim, quod pauci benè considerant, arcta
 solū ut facile aberretur, sed & lubrica valdè,
 atq; utinam non tenebrosa etiam, facile ut
 impingatur & cadatur, est via, quæ ad vitam
 & pacem illam ducit aternam. Eaq; de causa,
 dum frequenter reputo cum animo meo, quàm
 sollicitè frater domini moneat fideles; Orate pro Iac. 5.
 inuicem, ut saluemini, sedulo (mibi credite)
 prerogo, quod iuxta apostolicam istam sugge-
 sionem, sanctiq; spiritus hypothecam sanctis-
 simam, à vobis peto, fratres, opto, & flagito.
 Sed recipiam (loquor cum Gregorio magno)
 quod impendo. Dum enim inuicem per ora- Regis.
 tionis opem coniungimur, quasi ambulātes per li. 1.
 lubricum vicissim nobis manum tenemus, ac epi. 24.
 ne labamur, inuicem sustentamus. Fitq; ex
 illi.

EPISTOLA DEDIC.

*illiusmodi magna prouisione charitatis, ut in
singulorum virtus robustius perfigatur,
quo magis in alterum alter innititur.*

Duaci ann. domini 1586.

15. May.



CLERICIS
 ANVPERA, TOTVM
 PER BELGIUM, HÆRETI-
 CORVM CLERICOMACHIA
 superstitibus, de maturando sancto refor-
 mationis opere, autor salutem in domino.

LVBENTER audire sole-
 ntus, fratres in Christo di-
 lectissimi, catholicos & or-
 thodoxos doctores, quan-
 do fortiter in loxodoxos
 detonat erroneos hæreticos:
 & tanto eos tunc audire so-
 lemus lubentius, tantoq; dum audimus, magis
 tinnunt nobis aures, & salit gestitq; animus,
 quanto & ipsi syncerius sumus catholici & or-
 thodoxi. Et hoc quidem rectè. Nouimus quip-
 penō per diuinarum modò scripturarum sciē-
 tiam, perq; diuersas variorum sæculorū histo-
 rias, sed per multiplicem quoq; hac ipsa tandē
 nostra nunc tempestate, nostroq; in Belgio, ex-
 perientiam (quæ quidem experientia etiā stul-
 torum solet esse magistra) quàm sit talium
 B inter

AD BELGARVM

inter se hominum societas, ecclesiasticę semper inimica & noxia, adeoq; lætalis, vnitati. Atque ideo perfecto odio odimus illos, & inimici facti sunt nobis. Ex insita porrò naturæ vi consecrarium est, vt hostem iure exosum quisquis egregiè perstringi videt, vel audit, egregiam ille per lætitiā protinus pectus sibi suam exultanter tripudiare sentiat. Cæterum ecclesiæ Christi repub. in qua cælesti nos esse donatos gloriamur ciuitate, si quidem ita, vt par est, saluam volumus & incolumē: est vbi benignas oporteat præstare aures, quādo de moribus quoq; nostris, quales illi sint, & quales esse conueniat, ab iisdem doctoribus, ex fraternæ caritatis affectu, sermonē fieri audimus. Scilicet dici vix potest, quāti ad ecclesiæ salutem interfit: si qui lux mundi esse debemus, & sal terræ, monstrabili quadam scientiæ pariter & vitæ præstātes esse cernamur integritate. Sancta quippe rusticitas solū sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ meritō ecclesiam Christi, tātum nocet, si destruentibus non resistat. Certè non prius olim Iudæorum repub. perdidit deus, quāmodo degenerauerat populus, sic & ipsi ad vltimum infatuari cœpissent sacerdotes. Et nunc quādocunque, propter salutem ecclesiæ, generalia ex toto terrarum orbe, vnum aliquē in locum, congregantur concilia, non id solum tunc agitur, vt quæ vnanimem fidelium turbare cœperant consensum, dogmata noua & cōtrouersa, diligenter examinentur, & hæreseon,

Math. 5.

*Hier. ad
Paulinū
presbyt.*

*2. Paral.
cap. vi.*

*Ier. 2. &
10.*

2. Mach.

4.

si qua deprehensa fuerint, sine misericordia, cuncta interimantur porteta: verum & eo grauiter allaboratur, vt sicubi collabi, aut inclinare mores videantur ecclesiasticorum, fideliter restituantur, fulcianturq;. Hinc quippe & in sanctissima synodo Trident. quaë hisce nostris nunc afflictissimis celebrata fuit temporibus, cuilibet videre est, quemadmodum non paulo sese operosiores praestiterint, reuerendissimi in Christo patres nostri, atque prolixiores, in concinnandis canonibus, qui ad decentes pertinerent mores clericorum, quam quibus mostrosi profligarentur errores haëreticorum. Quin & olim prophetæ, vt singulari illi quodam dei zelo incensi, fidem & religionem apud Iudæos labantem alioqui, pro sua quisq; virili, suaq; ætate sustentare possent, ac retinere, non solū contra pseudopphetas semper, & idololatrias, qualibus hominibus, post Christi aduentum, mendaces nunc successerunt magistri, cum perfidis suis discipulis, hæresiarchæ, sed & contra fidelem populum, ipsosq; contra sacerdotes & principes, quantumuis illos fideles, exaltare quandoq;, vt tuba, solebant vocem suam. Et quam istud ob causam? Propter mores vtique, quibus non bonis, bona eorum veræ fidei, veræq; religionis conspurcata erat professio. Nec mirum: quando certissimum, notissimumq; sit catholicis quidem omnibus, ecclesiã, propter quam omnes facere, & pati debemus omnia, sine sacerdotibus stare non posse. Porrò quod

*Hiero. vii
cap. 11.
Osæ.*

AD BELGARVM

hîc flens iam, gemenſq; magnus nobis denun-
li. 5. reg. ciat Gregorius. Sacerdotalis ordo, poſtquam
epi. 7. intus cecidit, foris quoq; diu ſtare non poteſt.
 Vt ergo, quod impenſè volumus, & deſidera-
 mus omnes, ſtet intus & foris: quid, amabo,
 melius facere poſſumus, quàm vt in moribus
 noſtris muros eius gnauiter tum reparare, tum
 confirmare ſtudeamus? Quod quidem ita de-
 mum commodiſſimè conſieri poterit, ſi in lege
Aggei 1. domini meditantibus die ac nocte, poſuerimus,
Jerem. 7. hortantibus nos prophetis, corda noſtra ſuper
 vias noſtras, eaſq; in primis ad diuinę legis præ-
 ſcriptum diligenter exigere, tum & eccleſiaſti-
 corum ad canonum normam accuratè dirige-
 re contendamus. Suceſſerit nobis hoc nego-
 tium fœlicius; ſi ad illiuſmodi ſanctam conten-
 tionem inuicem ex animo cohortemur in do-
 mino, & cohortari non ceſſemus. Et nos quidē
 noſtra ex tenuitate, eam ad rem nunc in mediū
 proferimus hoc de noſtra clericorum cum mu-
 lieribus; cohabitatione noſtrum qualecunq;
 ſyntaxma. Nec grauabimur aliàs (ſi deus dede-
 rit) ad eandem rem quædam præterea conferre
 alia. Alioqui fratres cariſſimi, ſi hæreticos tantū
 dictis & ſcriptis perſequi ſemper voluerimus,
 ac tales dumtaxat, hac in perturbata apud nos
 eccleſiæ nunc acie, perſecutores ſi auidè auſcul-
 temus, id ſatis eſſe exiſtimemus: timendū pro-
 ſectò, plurimumq; timèdum, ne quod de inco-
 lumi eccleſiæ ſalute omnes habemus in voris,
 id nunquam reiſpſa aſſequamur. Timendum,
 plu-

plurimumq; timendum, ne si benignam matris,
 & sanctorum patrum nostrorum peruicaciter
 auersari pergamus disciplinam, nec ab eis re-
 formationem nobis adferri patiamur salutarē:
 tandem ferream iuratissimorum nostrorum in-
 imicorum sentire cogamur virgam hæretico-
 rum, illisq; ipsis reformandi tradamur in ma-
 nus, quos nunc vt detestabiles fugimus demo-
 nes. O reformationis monstrum illud defor-
 me, horrendum, ingens. Namq; olim quidem,
 quando omnia contingebant in figuris, & pro-
 pter nostram scribebantur correptionem, quū
 Iudæi, & Iudæorum maximè sacerdotes, ad di-
 uinæ legis præscriptum se, vitamq; suam &
 mores, iuxta sanctissima prophetarum monita,
 reformare contumaciter negligenter: sic illos
 ad postremum Assyrijs tūc, & Babylonijs, alijs-
 que tyrannis, reformandos tradidit deus infide-
 libus: vt illorum per reformationem, omnem
 funditus amitterent patritam veræ religionis
 formam, ipso cum templo, ipso cum altari, &
 sacrificio. Nunc verò, nostra hac tempestate, a-
 cerbissimos habent patriotæ nostri, hæresiotæ,
 & Hugonotæ de ratione, deq; necessitate re-
 formandæ ecclesiæ libros. Illos à magistris cō-
 positos hæresiarchis, studiosissimè docti & in-
 docti legūt, relegūtq; discipali. Mox vt alicubi
 apertā sibi aliquā cōspicere potuerint viam, sic
 lectionē suā mādare properant executioni ho-
 mines rabidi: vt in primis ordinem semper no-
 strum de medio tollere gestiant, templaque

1. Cor. 10

AD BELGARVM

& aras Christi omnes, omnem deniq; auitæ & catholicæ religionis speciem antiquam, profanas per nouitates suas, penitus gaudeant abolere. Olim per prophetas suos sic deus per-

Jerem. 7. tinaces, & obduratos compellabat Iudæos: Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Israël. Nunc non per prophetas aliquot paucos, sed ore omnium omnino hominum, nos eum nobis proclamare nõ dubitemus: Ite filij mei, quos vnigenitus meus sanguine suo semel redemit. Ite non in longinquam aliquam Bohemiam, Germaniã, aut Scotiã: sed in vicinissimas, vobisq; sororias omnino prouincias, Hollandiam, Phrisiã, aut Zelandiam: & videte quæ ibi fecerim. Neque enim fratres amantissimi, nos minus, quàm illorum incolæ, sumus peccatores. Absit longè à cordibus nostris tam cæca philautia, & tã stulta persuasio. Sed nisi pœnitentiã habuerimus, timere habemus, ne omnes pereamus similiter. Timere habemus, ne tanto super nos grauius diuina tandem aliquando stillet vindicta, quãto nobis quàm illis diutius deus parcere dignatus fuit: quãtoq; illos potius nobis, quàm nos illis, pro inscrutabili suo iudicio, exemplum facere voluit. Sanè manus eius nunquid non, vt omnes videmus, adhuc minaciter valde extenta? Recogitemus igitur quemadmodũ & olim longè inclementius, ab impijs tyrannis, vexata fuerit præuaricatrix Iuda, quã auerfatrix soror eius

Jerem. 7.

Luc. 13.

eius
lato
rori
mus
cipi
salu
nos
lan
stro
ad t
tes
por
ciur
re
& a
nes
bul
der
ber
ma
au
stũ
q;
im
fi
re
po
g
li
te
g

eius

eius Israël, posteaquam ad longum tempus dilato supplicio, nihil tamen ad horrendum fororis suæ correcta fuisset exemplum. *Cauca-* *Psa. 117^v*
145.
 mus fratres, ne nimis cōfidere velimus in principibus, aut filijs hominum, in quibus non est salus: tanquem si illi nos, irregulares per mores nostros, deo & ecclesiæ eius indefinēter rebelantes, de manibus nihilominus inimicorū nostrorum liberare possent. Nam neque Iudæos, ad typum si respiciamus ecclesiæ, neq; sacerdotes eorum, sic ab hostibus ipsorum, sui olim potuerunt liberare reges. *Sacrificemus sacri-* *Psal. 4.*
ciū iustitiæ, & sic speremus in Domino. Cor-
rectis accuratè, conformatisq; ad legem ipsius,
& ad canonicas matris nostræ ecclesiæ sanctio-
nes moribus nostris, inuocemus eum in die tri-
bulationis nostræ, puras leuantes manus. Ita *1. Cor. 14.*
demum fieri poterit, vt & principum hominū,
benè auxiliares nobis, & salutare experiamur
manus. Quid enim idem ille, quē iam gemētem *lib. 4. epis*
audiebamus, alibi scribens ad Mauriciū Augu- *76.*
stū Gregor? Quæ, inquit, virtus humana, quod-
q; carni brachij robur, cōtra Christiani culmē
imperij, irreligiosas præsumeret manus erigere;
si studeret concors sacerdotum mens redēpto-
rem suum, pro regibus & principibus, ita vt o-
portebat, meritis exorare? Aut quis ferocissime
gentis gladius in necem fidelium tanta crude-
litate grassaretur; nisi nostra vita, qui sacerdo-
tes nominamur, & non sumus, à prauissimis
grauaretur operibus? Et quoniam qui ignorat,

B iij igno-

AD BELGARVM

ignorabitur, ipseque deus grauerit conqueritur
 populum suum, & sublimes, ac gloriosos eius,
 iam olim descendisse in infernum, quod scientiam
 non haberent: idcirco si multa & sinuosa
 multorum, talis ut correctio fiat, non sufficiamus
 omnes voluere, & reuoluere librorum volumina,
 nec mentitur iniquitas sibi: saltem ad sanctae
 virginis, & martyris Ceciliae imitationem, sanctum
 euangelium domini nostri Iesu Christi, sacerdotis
 illius catholici vnus, simulque autentici (vt eum
 elegantissime, nec minus vere, valdeque mystice
 vocauit Tertul.) semper gestemus in pectore.
 Et huic vnum saltem addamus concilium generale
 Trident. cum sermone sancti Bernardi de conuer-
 sione ad clericos, ac breui opusculo Dionys. Carthus.
 de vita sacerdotum. Quae porro ibi in mortuis
 legerimus, & relegerimus chartaceorum foliorum
 membranis, ea opera demus, vt studiosam per
 meditationem, viuis vitae nostrae expressa cer-
 nantur in moribus. Expendamus sedulo cum
 animis nostris, quam sit ter execrabile scelus, qua-
 que grauerit suo tempore puniendum a deo, non
 modo dioeclesana, aut prouincialia, sed ipsa
 etiam oecumenica, in spiritu sancto simulatque
 longam post expectationem, toto vbiq; comoto
 orbe Christiano, sunt celebrata concilia, nec id
 sine impedimento multarum etiam praestanti-
 ssimarum eheu animarum, haud penè aliter
 haberi postea, quam si frustra celebrata foret:
 Quod tamè ita fit, quando haeretici quidè impiè

li. 4. con.
 Marcio.

con-

contemnunt, atq; blasphemāt canones ibi cō-
scriptos de fide: catholici verò supinè negligūt
quæ ibidē saluberrimè sancita fuerūt de refor-
matione. Omnē immūditā carnis, illiusq; parē-
tē simul & nutricē, gastrimargiā ac gulā, vt cer-
tissimā euitemus sēper carnis & spiritus nostri
corruptionē. Fastū omnem & superbiam, siue
intus in corde, siue foris in habitu, non minus
quā ipsū exhorreamus serpētē diabolū. Auari-
tiā vt impiā detestemur sēper, & fugiamus ido-
latriam. Ad hæc autem præstanda, vt deus
nobis lubentius in adiutorium intendere velit;
diuinorum officiorum laudibus & orationi-
bus, quibus mācipati sumus, nocturnis & diur-
nis, nunquā desimus: sed omni conculcata ace-
dia, quemadmodum generalibus in concilijs,
in virtute obedientiæ, nobis præceptū est, stu-
diosè ea semper, quātū deus dederit, distinctè,
reuerenter, atq; deuotè peragamus, sine omni
properante cursu, & vagabūdo discursu. *Quid*
ni enim? quādo omnibus omnino diebus iultæ
ad hoc suæ nobis sint feriæ, à turbulēta abstētis
sēper sēculariū negotiorū implicatione, istisq;
ferijs nusquā sua desint præbēda. Atq; hoc qui-
dē si ita fecerimus secūdū ordinē, καὶ εὐσχημότως
fiet & illud, vt laici quoque homines, exemplo
Aurelij Augustini, lubentius diuina frequētent
officia, & alacrius: adeoq; vberiori cū pietatis
fructu ijs intersint, vt per hymnos, psalmos, &
cantica spiritualia, suauè sonantis ecclesiæ vo-
cibus, ad lachrymas vsque præ magnitudine
deuo-

*Conc.
Lat. sub
Im. 3.
cap. 17.
Trident.
sess. 24.
cap. 12.*

*l. 9. conf.
cap. 6.*

AD BELGARVM

1. Cor.
14.

deuotionis, subinde compungi se persentiscat.
Fiet, vt si quis fortè infidelis intret ecclesiam
hæreticus, aut idiota, cadat in faciem suã: sicque
deum adorans confiteatur, quia verè in medio
talium ecclesiæ ministrorum sit deus. Alioqui,
vt nunc quidem quibusdam pro dolor agitur
in locis, illud citius efficitur, vt angelicis iucũ-
dissimisq; his in officijs, propter ineptos, im-
pios, & imperitos aliquot, ibi impiè tumultuã-
tes semper rabulas, ipsimet sacerdotes, si eccle-
siasticorum mysteriorũ paulo fuerint peritio-
res, & timorati, durare non possint: nisi certam
stomachi inire sustineãt euerfionem & cerebri,
proq; sancta pietatis recreatione, ac nonnullo,
quod ibi sperandum fuerat, incremento deuo-
tionis, magnam sibi aliquã lucrari velint mole-
stiam spiritualis nauis: vnde fiat, vt pro cõcu-
pita spiritus consolatione, grauissimam semper
ex domo dei secum domum suam, & mentis
postea & animi reportet defolationẽ. O inges
hinc apud nos pudor, & (nequid dicã acerbius)
risus & exultatio in castris hæreticorum. Et hoc
quorsum? In contumeliã vtique dei, & catho-
licæ eius ecclesiæ. O ingens hinc apud angelos
sanctos, tutores nostros, tristitia: gaudium verò
& tripudium apud crudelissimos inimicos no-
stros, angelos malos. Scilicet sic dũ agitur, fra-
tres, illi cum mœrore semper discedũt à nobis
& pudore, quorum tamen cõstanter in medio
psallendum fuerat: hi, vt lupi rapaces, medios
sefe ilico ingerunt in chorum nostrum, tanto
sem-

semper nocentius, quanto minus cogitantur
adesse. Ex talium porrò spirituum societate, ab-
sentibus ià angelis sanctis, custodibus nostris,
quid expectandum, sodes? Certè hi sunt irre-
quieti illi spiritus, maligni, & apostatici, qui vt
cultum dei, quem pessimè oderunt, sceleratè
disturbent, quasi scutica sua quadam inuisibili,
flagello, aut stimulo, irrequietos miserrimorū
illiusmodi clericorū animos, ad omnes semper
irreuerentes procurusiones exagitant, & prope-
rationes. Hi sunt, à quibus & corpora leuissi-
morum istorum hominum, inuisibilem quan-
dam per apprehensionem, ad vagabundas istas
discursationes tam, vt alicubi videre est, frequē-
ter, excutiuntur è choro: vt quia templum est
instar cæli, isti scilicet, quasi planetæ quidam,
oberrent nobis passim per nauem & cœmete-
rium. Legatur Bernar. serm. 7. & 47. in cantica.
Greg. lib. 2. dialog. cap. 4. & Basil. in illud Psal.
28. In templo eius omnes dicent gloriā. Chri-
stus dominus, quando diuinum missæ primum
celebraturus esset officiū, ipse & apostoli eius
simul celebrationis locum tempestiuè adie-
runt omnes, simul durauerunt omnes ad finem
vsq; . Simul, peractis omnibus, exiuerunt
omnes in montem Oliueti. Solus Iudas Isca-
riotes (quem isti omnibus in officijs imitari
malunt, filium perditionis, quàm ad sanctos
respicere apostolos) quia introiuerat in eum
satanas, perq; talis hospitis suggestiones, lōgè
aliud versabat in animo, quàm quod tali in of-
ficio

AD BELGARVM

ficio agendum fuerat, ante finem excurrere properauit, quamuis nec id sine dominico tentauerit permissu, quasique obtenta uenia. Postremò cogitemus frequenter, valdeq; seriò cogitemus, quãtopere domino deo nostro seria quãdam vitã nostrã, qui peculiariter clerici vocamur & sumus, cordi sit reformatio. Tãtopere enim cordi est, ut sicubi ad eam procurandam legitimi (quod absit) ecclesiã proceres suis semper uellent deesse partibus: iam propter electos, nõ dico per homines peccatores, per illegitimos ariolos, aut idololatrias, per Balaamicas asinas, sed quod dictu pariter & cogitatu horribilissimũ est, ipsum etiã per diabolũ, hostẽ illũ reformationis omnis sanctã prorsus irrecõciliabilem & immortalem, hoc nobis utilissimum opus moliri non dedignarerur. O zeli excessum. Audiamus (si placet) quid ante annos trecentos, super isto uerbo, memoriã prodiderit doctor egregius, Thomas Cantipratanus. Sed & illud ait, solemne miraculum, ad terrorẽ omniũ prælatorũ enarrabo. Clericus in synodo episcoporum prædicare cõpulsus, angustibatur non modicum, quidnam dignẽ posset coram tot prælatis ecclesiã prædicare. At ubi accessurus in oratione iaceret: uenit ad eum diabolus, & dixit ei: Quid angustiaris istis clericis prædicare? Dicas eis istud, & non aliud, Principes infernalium tenebrarum, principes ecclesiã salutãt. Lætĩ omnes nos gratias referimus eis idẽ, quia cum ipsis eorum nobis afferuntur subditi:

Et

*lib. 12.
ca. 20.
part. 9.*

AD BELGAR. CLERICOS. 15

Er per eorum negligentiam, ad nos deuoluitur totus pariter ferè mundus. Inuitus quidem tibi dico, quod dico : sed altissimi iussione coactus sum. Respondit ergo clericus. Mihi quidem , si hæc eis retulero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: ecce ait; signum , nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices, nõ cõtingas; quia frustra. Post prædicationem verò aqua benedicta delebis. Processit ergo clericus, in synodo prædicaturus, & admirantibus cunctis de signo faciei indito , tantum quæ sibi iussã fuerat recitauit, & ad horrorè maximũ, cũctorũ corda permouit. Isto tali in omnipotētis dei, pro ecclesiæ suæ reformatione zelo, tãtoq; in zeli atq; ardoris excessu, si nos eiusdẽ ecclesiæ ministri, non nisi tepere dumtaxat , aut frigere etiam semper velimus: agedum ipsi, fratres dilectissimi, positis affectibus iudicemus, fueritne dignum & iustum: si nos olim illuc omni cum amabili tepore, aut frigore nostro releget deus, vbi qui erunt, sic ad nimium transibunt calorè ignium, vt nihilominus propter aquas niuium, horridumq; inde proueniens frigus , æternus eos excruciet, vt fletus, ita & stridor dentium? A quo nos casu, celerè per reformationẽ, præferuet ille, intercedētibus omnibus sanctis suis, qui quando propter nos , nostramq; propter salutem descendisser ad inferos, inferni doloribus teneri non potuit, Iesus Christus, dominus & deũ noster, benedictus in sæcula secul. Amè.

*Iob. 24.
Math. 8.*

*Duaci, ex phrontisterio nostro Amatenfi,
ann. Domini, 1586. 15. Maij.*

Faint, mirrored text visible on this page, likely bleed-through from the reverse side of the leaf. The text is illegible due to its faintness and orientation.

Decorative initial flourish or symbol at the top right of the page.

Fragment of text visible on the right edge: D N
C O

Large decorative initial 'C' at the start of a text block on the right edge.

Fragment of text visible on the right edge: nim
ad p
pati
spir
dun
cuiu
tute
ita c
den
ad i



TRACTATUS,
DE CLERICORVM
COHABITATIONE CVM
FOEMINIS, LICITANE
SIT ANNON.

SERMO PRIMVS.

OMnia fermè peccatorum genera, auditores Christiani, Iesus Christus, dominus & magister noster mitissimus, longanimiter tolerauit in apostolis suis, quoad post admirabile demonstratum satis patientiæ & mansuetudinis exemplum, spiritum eis sanctum cœlitus mittendum, patrem suum cœlestem exoraret: cuius quidem per spiritus afflatum, virtutem semel illi indueretur ex alto. Nãq; ita demum futurum erat, vt qui iam pridem in statu versati fuerat perfectionis, ad ipsam tandem aliquando omnigenarum

*Paul. à
Pal. in
cap. 26.
Math. ad
illud:
Tunc
abiit v-
nus de.
12.*

rum virtutem promouerent, perfectionem. Tolerauit eorum in moribus magnam stupiditatem ac tarditatem: tolerauit socordem valde acediam: tolerauit fastosam eorum præsumptionem: tolerauit incredulitatem atq; perfidiam: tolerauit eorum inuidiã, superbiam, ambitionem, arrogantiam, indeq; subinde pullulantes tolerauit eorum inter ipsos contentiones. Tolerauit diabolicas Iudæ Iscariotis criminationes, & sacrilega furta. Tolerauit denique & Petri, cui clauis promiserat regni cælorum, horrèda periuria, nec nõ impios, quasi que atheos catanathematismos, & execrationes. Quin etiam semet ipsum, apostolici cū esset sodalitij caput, equanimiter ab emulis suis, omni quasi falsarum criminationum sustinuit sugillatione perstringi: dum nunc contemptim Galilæus, nūc faber, & idiota, fabri filius, nunc ineptus discipulorum formator, nunc homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, nunc seductor populi, nūc seditiosus reipublicæ perturbator, nunc depeculator, nunc antitheus legisrupio, nūc blasphemus, nunc atheus, nūc dæmoniacus, aut

ma-

magus : nunc Samaritanus , quasi semipaganus , & idololatra in vulgus audiret . Nihilominus tamen immundæ luxuriæ nullus vnquam aut discipulorum in collegio , aut contra se , apud æmulos , quem toleraret , excitatus fuisse legitur foetor . Quinimò adeo longè ab omni semper , & persona eius , & conuersatio abfuit incontinentiæ specie , ait Orig. vt nemo tam maledicus vnquam extiterit , aut impudens calumniator , qui vel leuissima aliqua macula , hac quidem parte , eius contaminare famam ausus fuerit . Quare hoc ? Sanè vt ipse vnctus erat spiritu sancto sacerdos , secundum ordinem Melchisedech , sic & apostolos suos ad statum destinauerat sacerdotalem . Hoc autem à statu cum aliorum omnium quàm longissimè abesse semper oporteat vitiorum inquinamēta : tum verò nullum existit scelerum genus , quod sanctissimam illius dignitatē perinde dedecoret , atque luxuriosā immunditia carnis . Nam & in figura quando adhuc contingerent patribus nostris omnia , & primogenitis sacerdotalis anexa hæret dignitas , nōne Rubē ,

C

patri-

*Contra
Celsura
lib. 3.*

*Hier. in
gen.*

*Euch. Or.
Carth. in
gen.*

patriarcharum primogenitus, prerogatiua illa propter effusam libidinē, ignominiosē per patrem moribundum orbatus fuit? Eoque in ordinem redacto, nōne tribus postea Leui ad sacerdotale fuit

*Epiphan.
her. f. 78.
Nazian.
in Ezech.
Oleas. 12
cap. Nu.*

delecta munus? Nunquid non, per idem deinde umbrarum tēpus, Moſen & Aaronem, ad gubernationem Iſraēlitici populi sacerdotalem pariterque propheti-

Exo. 19.

cam, simulac vocati fuissent, carnali protinus foeminarum suarum copulationi, etiam licitae, extremum vale dixisse legimus? An non quando Iſraēliticus ille populus diuinam erat accepturus legem, diuinitus quoque iussus fuit lauare vestimenta sua, triduūq; à legitimis sibi suis temperare vxoribus? Quid ergo, posteaquā à multiplicibus figurarum vnabris, ad ipsam tandem illustrissimam nunc deuentum est, & simplicem corporis veritatem? Corpus autem erat Chri-

Coloss. 2.

sti. Certē officium eorum est, qui noui nunc testamēti sacerdotio funguntur, in lege & doctrina, quam noui testamenti mediator attulit Christus, meditari die ac nocte: illorum vt ex ore eandem vltērius populus omnis discat Christianus.

nus. Iam verò doctrinam illam subli-
 mem de perpetua continentia carnis, &
 castitate virginali, quam singularem in
 euangelio suo Christus dominus omni-
 bus, qui capere possunt, prostare voluit,
 quo ille ore sacerdos, quaeue fronte, alijs
 vt palàm prædicet, instanterq; commen-
 det, audere poterit, qui incontinentiæ
 maculis ipse sordidatus inceserit? Officiū
 eorum est, qui nouæ nunc legis existunt
 sacerdotes, non annuas, vt olim sub lege
 Mosaica, non menstruas, aut verò heb-
 domadarias per vices, sed quotidie, &
 quidem tale, diuinæ maiestati, offerre sa-
 crificium, in quo ipse ille immolari su-
 stineat agnus rationalis, qui de spiritu s.
 conceptus, & natus ex matre semper
 virgine, virgo & ipse semper fuit, sēperq;
 permansit, quique semper virgo, semper
 virginem habuit præcurforē: ac tandē in
 ara crucis moriturus, virgo filius virginē
 matrē, nō nisi virgini cōmendauit disci-
 pulo. Officiū illorū est, illam vt sine vllis
 temporum distinctis interuallis offerant
 hostiā, in qua vinū, quod fūditur, germi- *Zach. 9.*
 nat virgines. Quod quidē dū attētiuscu-
 lè cōsideratur, an nō ille ipse qui immo-
 latur,

latur, christus Iesus, tātum nō edita nobis
 voce proclamare existimatur? Casti estote
 qui immolatis: quia ego, qui immolor,
 castissimus sum, & castitatis amator præ-
 cipuus. Hinc quippe quādocūq; virginē
 hanc immolaturus nunc hostiā, ad aram
 consistit sacerdos, vestēque sibi albā præ-
 cingit, hāc in cēlū iubetur eiaculari precē:
 Dealba me domine, & mūda cor meum.
 Præcinge me cingulo puritatis, & extin-
 gue in lūbis meis humorem libidinis, vt
 maneat in me virtus cōtinētiæ, & castita-
 tis. Atq; in hēresim quidē qui prolapsus
 fuerit, mox vt crimen agnouerit, quāuis
 illud execrabile, & pœnitētia ductus ipsū
 toto corde anathematizauerit, recipit eū
 sancta mater ecclesia ad cęlestis, & ange-
 licę mensę communionem, & tanquam
 benè idoneum cum sanctis ibi filiis suis
 statim epulari iterum permittit. Qui ve-
 rō carnem suam per fornicationem for-
 didauerit, quātumlibet grauis subsequa-
 tur pœnitentia, & syncera cōmitetur cō-
 fessio, per totos tamen aliquot illum an-
 nos, ait b. Ioānes Climacus, à venerandis
 immaculatisq; solet abstinere mysterijs,
 idq; ex apostolica traditione. Et olim
 quan-

Grad. 15

quādo v̄mbrarū adhuc tēpus duraret, ac
tremendum huius sacramenti antitypū,
in panibus adhuc abs̄cōsum lateret pro-
positionis, eosq; rex Dauid, sed sacerdo-
tis Christi, ait Aug. assumptam gerens
personam, sibi puerisq; suis ad mandu-
candum porrigi flagitaret: si mundi sunt
pueri, dicebat tunc ei sacerdos Achime-
lech, maximè à mulieribus, manducent.
Eccè cū cætera quidē omnia mundos,
tum autem maximè à foeminarum com-
plexu mūdōs esse volebat dominus eos,
qui eucharistici nūc nostri panis, viui, atq;
cælestis, nō nisi obs̄curū tūc erāt gustaturi
typum. Vnde quando olim S. Epiphaniij,
Cypri episcopi diaconus quidam veritus
non fuisset tremendis sic subservire my-
sterijs, vt sacrificio peracto, cōmunicare
etiam constitutum haberet, licet nocte
proximè antegressa, cū vxore rē habuif-
set coniugalem, repente lepra eum diui-
nitus perfusum fuisse accepimus: perque
episcopū, qui mox miraculum animadu-
erterat, procul ab altari, vt cōmunicare
nō posset, fuisse remotum. Estq; religiosa
apostolorū doctrina, vt & laici, si cōiuga-
ti sunt, quādoq; de tremenda virgi-

Aug. de
conf. euā-
gel. li. 1.
cap. 3.
Hier. in
c. 1. Mal.
et lib. 1.
con. Ios.

Sur. in
vita eius
in Maso.

Phoe. tit.
3. ca. 21.
1. Cor. 7^a

nalis huius sacrificij mēsa participare desiderant , ab omni tunc genitalis operis commercio , ex communi coniugalium animorū consensu, ad tempus abstineāt.

Quam quidem disciplinam cū in apostolicis literis manifestē expressā quondā videret optimus pastor, & vir totus apostolicus, b. Eligius , dicere pro concione

*Ser. in
eius vita
mense decem.*

solebat, illos bonos esse Christianos , qui quoties sanctę adueniunt solemnitates, præter alia tūc pietatis exercitia, complures aliquot dies, etiā à proprijs se continerent vxoribus. Eidem consonanter doctrinæ idem vt ita fieret , multo antè

*De cōsec.
dist. 20.
e. omnis
homo.*

*Plur. in
dec. part.*

2. quæst.

4. ca. 33.

*In li de
cast.*

edixerat synodus Elibertina , his verbis: Omnis homo ante sacram cōmunionē à propria debet abstinere vxore , aut quatuor, aut septē dies. Hinc (vt scribit b. Sixtus, pont. max.) egregia illa apud Græcos olim ante communionem manauit præfatio, *Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*; quā sublata diaconus voce, vniuersę pronūciabat ecclesię. Quo ita, quisquis à venerea se agnosceret non abstinuisse voluptate , sancta sibi clarè intelligeret contingere non debere. Est siquidem *ἁγιότης* , interprete d. Dionys. Areopagita, puritas & munditia
ple.

plena, eademq; ex omni parte incontaminata, & impolluta. Ac de sanctissimæ eucharistię quādo agitur communione, tūc idem per vocabulum, castam corporis quoq; significari munditiam, id vel solus ipse abundè nunc nobis arguit typus, panes videlicet propositionis. Si de mulieribus agitur, aiebat Dauid, panes illos sanctos ad manducandum sumpturus: Continuumus nos ab heri, & nudius tertius, & fuerunt vasa puerorum sancta; id est, Illa corporis nostri membra, quorū per instrumēta genitale opus peragitur, tali operi nullum in modū admota fuerunt, iuxta illud apostoli, Hæc est volūtas dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisq; vestrū vas suum possidere in sanctificatione, & honore: & non in passione desiderij. Imò quia talē, vt cōmemorauī, noui nūc testamēti tēpore, hostiā Christiani habemus virginalē; fit vt & ipsum tēplum, in quo hostia immolatur, ipseque tale in tēplū ingressus, singulare aliquod, præ tēplo ludæorū, à nobis exigere videatur studiū castitatis, iuxta illud, Domum tuam domine decet sanctitudo: quod ex psal. 92.

1. Reg.
21.1. Thes.
4.

de ecclesijs Christianorum in earum de-
 dicatione, & dedicationis anniuersaria
 semper memoria cantari consuevit. Et
 enim antiphona illa vt, quo vsq; perti-
 neat, melius intelligant omnes: audite, si
 graue non est, memorabilem quandā ex
 diuo Greg. historiam. Matrona quēdam
 nobilis in vicinis partibus Thusciæ, nurū
 habebat, quæ intra breue tempus, quo fi-
 lium eius acceperat, cum eadē focru sua
 ad dedicationem oratorij b. Sebastiani
 martyris fuerat inuitata. Nocte verò ea-
 dē, qua subsequēte die ad dedicationem
 prædicti oratorij fuerat processura, volu-
 ptate carnis deuicta, à viro suo sese absti-
 nere non potuit. Cumq; manè factō cō-
 sciētiam deterreret perpetrata carnis de-
 lectatio, processionem verò imperaret
 verecundia, plus erubescens vultum ho-
 minum, quā dei iudicium metuens, cū
 focru sua ad dedicationem oratorij pro-
 cessit. Mox verò vt reliquię b. Sebastiani
 martyris oratorium ingressæ sunt, eandē
 prædictæ matronę nurum malignus spi-
 ritus arripuit, & corā omni populo vexa-
 re cœpit. Eiusdem verò oratorij presby-
 ter, dum eam vchemētissimè vexari con-
 spice-

*Greg. lib.
 I. dialog.
 cap. 10.*

*Matrona
 ob carnis
 vitium à
 diabolo
 correpta.*

spiceret, ex altari protinus sindonē tulit,
 eāq; operuit: sed & hūc simul repētē dia-
 bolus inuasit. Et quia vltra vires voluit
 quicquā pręsumere, cōpulsus est & ipse
 cognoscere in sua vexatione, quid esset.
 Notet hoc obiter exēplū impia nimis il-
 lorū hominum audacia, quos publicis in
 procesionibus, sanctis sanctorū marty-
 rū, aut cōfessorū Christi vectādis etiā re-
 liquijs, impudicos suos, & interdū adul-
 teros, nil pudet subijcere humeros: nedū
 sic pollutos intrare basilicas. Multoq;
 ante Greg. tēpora b. Hieronymus, si in-
 terdū (vt fit) inuoluntariā aliquā, per no-
 cturnū insomniū, passus fuisset pollutio-
 nē carnis, vereri solebat vir sanctissimus,
 ne non sanctus iā, castusue foret satis, qui
 domū domini ingrederetur. Ego, inquit,
 confiteor timorem meum, ne forsitā
 de superstitione descendat. Quando ira-
 tus fuero, & aliquid mali in animo meo
 cogitauero, & me nocturnum phātsma
 deluserit, basilicas martyrum intrare nō
 audeo: ita totus & corpore & animo cō-
 tremisco. Cū ergo noui nunc testa-
 menti sacerdotium sic apostoli à Christo
 domino comparatum esse viderent, vt
 eius

Cōt. Vig.

Siric. ep̄.
 1. lnn. 1.
 epist. 1.
 Et 3.
 Conc.
 Cart. 2.
 ca. 1.

*Epiph.
her. 48.
Or. 59.
Hier. l. 1.
cont. ion.
Item cōb.
Vig. et in
apo. ad
Pam.*

*Luc. 1.
Greg.
Naz. in
carm.
Cyr. Hie.
catec. 12.
Max. in
resp. ad
Thalass.*

*Mal. 3.
1. Cor. 11
apo. 1. 2.
3.*

eius qui foret initiati ministerio, illis nō vicarium, sed iuge orandi, in templis cōuerfandi & sacrificandi incumberet officium, perpetuē quoque eis continentie legem indictam esse voluerunt: quo ita domino deo suo magis placere possent, in his quæ quotidie ei offerret sacrificia: quemadmodum veteris legis, quæ nihil ad perfectum deduxit, sacerdotes, suis saltem quisque ministrations vicibus, cōtinentiē studere debuerant. Nempe ita demum futurū erat, vt quomodo magister ipsorum, & vnicus ille noui nunc testamēti authenticus sacerdos, & vniuersalis, Christus, non ex mulieris & viri natus fuit commixtione, totamque deinde, secundum ordinem Melchisedech sine vllius fœminę coniugio oeconomiam suam peregit: sic & in sacrificiō tali qui perpetuis temporibus cooperarentur sacerdoti principali, & subseruirent, semper à mulierum se consortio abstinerent. Ita futurum erat, vt quod vnā cum Ioanne baptista, in sacra scriptura vocatur, verè etiam pro suo quodā modulo essent, videlicet angeli. Angeli enim neque nubunt, neque nubuntur: sed quos in sancto suo

suo

suo ministerio dei procreant filios, ex femine illos procreant omnes nō nisi spiritali. Verumenimuerò quàm maximo olim pietatis zelo sacer procurare studuit senatus apostolorum, vt ex sententia domini nostri Iesu Christi, omni semper mentis & corporis cum puritate, sanctissimum istud immaculati agni ac rationalis sacrificium perageretur, deque oblato māducaretur, tam maximo item conatu, iam inde à primis subolescentis ecclesie crepundijs, per impuros Nicolaitas, per coenosos Gnosticos, perque alias id genus Christiane religionis pestes, & zizania pessima, enixè contendit spiritus immūdus satan, vt sancta profligata munditia, talis ac tanti sacramēti administratos, per varias variè sceleraret libidinosę immunditię formas, valdè illas deformes. Scilicet spes ei erat, posse fieri, vt contemptis tandē aliquando, propter immunditiam suam ministris, in cōtemptum vltius adduceretur ipsum etiam tremendum mysterium. Atque hoc ex longo satanę molimine, illud quidē certè effectum est, vt ad postremū, cōculcata ecclesie disciplina, impuris tandem scortatio-

*Epiph. in
coenosa
harsf.*

tationibus, & concubinato sacrilego sacerdotalis passim ordo, horrendum in modum, pollutus iacere cerneretur: deindeque superioribus aliquot annis, imperitè quidem, prorsusque ineptè & petulàter, at non sine omni tamè causa, cause colore, quèreretur à nōnullis interdum hominibus eruditis, iisdemque catholicis. expediretne, si omnibus vbique clericis; honesti coniugij libertas semel concederetur. Verùm quoniam nunquā ab ijs, qui ad ecclesiæ gubernacula sedēt, apostolicasque constitutiones religiose obseruare semper, ac retinere studēt, tale aliquid vt permittatur impunè, nedū cōcedatur, expectari queat: nec sit interim dubium, quin quod tremendorum mysteriorum ministros nimia passim, cordis nunc, & corporis diffluere impuritate videamus, & audiamus, lamentabilis istius calamitatis origo non minima, in nimia illa delitescat, quam plerique clerici cum mulieribus frequentant, familiaritate; quærebat ex me non ita pridem, presbyter quidam canonicus externus aliud quiddam: nempe licitumne esset an non, quod sacerdotes, cæterique clerici, qui

qui perpetuam deo castitatem vouerūt,
eodem, vt vbiq; videre est, habitent sub
tecto cum mulieribus. Isti nunc quæstio-
ni fusius, in adiutorio dei, respondere ag-
gredior, quando propter præstantissimos
istos sex viros, quorū causā hi nunc con-
uentus aguntur, quosq; ad eminentissi-
mum nunc theologicæ facultatis gradū
promouere cogitamus, quàm plurimos
cōgregatos esse video, multoque in dies
adhuc plures cōgregatum iri nil dubito,
quibus oratio, si rectè instituatur, recteq;
processerit, utilis esse possit. Nam & aliās
resciui presbyterum quendam pædago-
gum, virum integerrimum, cū sine vlla
fœmina rem tueretur familiarem, mole-
stissimè ab alijs vexatum fuisse sacerdoti-
bus, vt in familiam suam admitteret an-
cillam, si in pædagogia vellet remanere.
Adeo isti quidem in proposita quæstio-
ne nihil subesse scrupuli videri volebant;
cū tamen, vt sequens docebit oratio,
nō modò scrupulorum, sed & grādium
scopulorum in ea insit quàm plurimū.
Respondeo igitur simpliciter licitum nō
esse, id quod simpliciter quærebatur, ta-
met si (quod negari non potest) nusquam
non

non fieri conspiciatur. Primum quia res est plena periculi: iterum, quia speciē habet mali: deinde quia communi illorum & constanti nimium aduersatur doctrinæ, quos non aliter ferè, quàm deridiculè patrū quotidie honorauerimus vocabulo, si frequētissimis ipsorū iisdēq; saluberimis, obsecundare non curamus monitionibus & exemplis: postremò quia cū sacris parum congruit canonibus, quorū ad amussim vitam tamen nostram, vitæque nostræ mores collineare debemus omnes. His quatuor locis responsio absoluetur, sic vt singulorum locorum tractationi sua diuinarū quoque scripturarum interponantur statumina.

S E R M O
S E C V N D V S.

T quidem quàm res sit varijs & magnis plena periculis, nox harum nobis non sufficeret vespertiarū, si scopulos illos omnes, si scyllas, atque charybdes, quæ in illiusmodi occurrūt cohabitatione, oratione *In regul.* pertractare vellemus. Periculose aspiciatur, clamat s. Aug. quod cōcupiscere nō licet:

licet: quando qui mulierem tātūm vide-
 rit ad concupiscēdum eam, iam eandem
 mœchatus sit in corde suo. Atqui talis
 mœchatio non rarò vno dumtaxat mo-
 mento, & in ictu oculi perpetratur mor-
 taliter. Oculo enim nequius quid crea-
 tum est? Oculus deprædatus est animam
 Jeremiæ, in cunctis filiabus vrbs sua. *Thr. 3.*
 Oculos ipse sibi suos eruisse legitur De-
 mocritus, quòd mulieres sine concupi-
 scentia aspiciere non posset, & doleret si
 non esset potitus. Iam verò si periculose
 aspicitur, & fortè non nisi obiter aspici-
 tur, quod concupiscere non licet; quāto
 ergo periculosius aspicitur simul & au-
 ditur, & quidem frequenter, idque nullo
 nō die: imò, vt domestica fert consuetu-
 do atque negotia, nonnunquam etiam
 attingit & attingitur, affricatur & affri-
 cat, palpat & palpatur? Quanto, inquam,
 periculosius aspicitur simul & auditur,
 quando, vt in domestica accidere solet
 familiaritate, in lecto interdum capite, &
 vnica cum tunicella, nudisque lacertis, &
 aperto pectore, nec vberibus omnino te-
 ctis, in oculos sacerdotis incurrit foemi-
 na, cubile præterit, ostium eius pultat, aut
 etiam

*Eccl. 31.**Thr. 3.**Tert. in
apolog.**Chrys in
ser. cons.
cohabit.*

*Cyprian.
de sing.
clericorū.*

*Chrys.
hom. 17.
in Matt.
ad illud:
qui vide-
rit mulie-
rem ad
cōc.*

1. Reg. 2.

etiam intrat. Nam si tu, tali in conuersatione, frigidus fortassè fueris: sed vnde tandem constare tibi poterit, cōmorantem ancillam, item esse frigidam; tali vt ex cōuictu, si non te foemina videndo, audiendo, tangendo, fricandoq; vratur, non illa saltem centies per te vno quandoque vratur die? Quid si ad te quidem frigidum frigida fortassè fuerit: at nō ita ad omnes quoq; domesticos? De Heli, summi apud Iudeos sacerdotis, incōtinentiæ peccato nihil meminit scriptura. Sed illius tamen filij, & ipsi sacerdotes, nonne adeo ardebant libidine, vt illis etiam dormirent cū mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi? Sic & nos, quorum propter salutem ista sunt scripta, noui nunc testamenti tēpore, continentissimum quēdā nouimus sacerdotē, cuius in familia quoniā alebatur ancilla, cū ancilla, patrefamilias ignorante, (horresco referēs) proprii ipsius foedissimum in modum pollueretur filij, foris illi antè, & post semper casti tantum domi paternæ, ob presens illud ancillarum offendiculum, obscœni. Similiter alterum quendam alibi nouimus sacerdotē canonicum, cuius cum ancilla,

quan-

quando ipse versaretur in templo, aut aliquid ageret aliud, flagitiosè luderet cõtubernales. Quod cū ille depræhensum castigare adoriretur, tale homo sacerdos, ab adolescente profano, tulit respõsum: Domine, si quod videri vis, ex animo horres luxuriantes sub tecto tuo adolescentulos sustinere canes masculos: propelle ex ædibus canem fœmininam. Quid amplius? Illud profectò amplius. Sic enim & episcopum quendam nouimus: qui cū, ad apostolorum scilicet imitationem, viduas se dicitaret habere velle in obsequio suo: quid putatis euenit? Doluit non multo post tempore, talem per cacozeliam episcopus, ipsa in episcopali sua familia, neptem suam à suo quodam nequiter attentatam fuisse, ac nescio an etiam constupratam, ministro. Esto tamen bone vir: sit quod factu difficile est, vnà tecum, & cum focaria tua, tota item frigida omnino familia. Nūquid omnia possumus, aut sumus omnes? Et tamen dum tu frigidus forsitā, frigida in familia tua, frigidam aliquam commorari sustines fœminam, idque alij quotidie infirmi considerant clerici, minimè illi

D quidem

quidem frigidi: nunquid non vehementer proritantur, ad id quod apud te vident, calidè apud semetipsos imitadum?

*Sic argu
mētatur
Ioann.*

*Chrys. in
serm. con.
regulares
fæminas
viris co-
habitâtes*

Hoc autem dum fit, perit infirmus in cōscientia tua frater, propter quem, ne periret, mortuus est Christus. Sic porrò, ait apostolus Paulus, peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccamus. Quod quis non videt, quàm alienum semper esse oporteat à moribus sacerdotum? Quos quãdoquidem Christus dominus lucem esse mundi voluit, & sal terræ, non suam illi modò, sed & aliorum salutem, in tuto vt collocetur, sicque conseruetur, procurare necesse habent. Neque verò audientium, si quæ tibi cohabitât foemina, tu

*Tho. de
puri. cōsc.
ca. 14. &
Tho. Cāt.
de bono
vniuersali
l. 2. ca. 33
par. 47.*

*Vide cōf.
eius, de
partibus
luxuriae
fol. 51.*

religiosam illam valdè, valdeque sanctâ esse resistas. Etenim vt post b. August. d. Thomas nobis obseruatum, annotatumque reliquit: quo illiusmodi commoratrices fuerint sanctiores, eo magis alliciunt: & sub prætextu blandi, sanctique sermonis, immiscet se paulatim viscus impijssimæ libidinis. Quamobrem suadebat suo tempore doctor theologus Godscalcus omnibus religiosis virginibus,

bus, & quibuscunque alijs mulieribus, ne vnquam nimiam familiaritatem, & amicitiam vllam sensualem haberent cum suis confessoribus. Diabolus enim, aiebat; est mille artifex, & sub specie sanctitatis & religionis, mirabilia operatur. Et per illam mutuam frequentationem, assiduamque colloctionem, assidionem, literarum & munusculorum transmissionem, amor prius fortè honestus, fit sensualis, tandè carnalis, & ad postremum diabolicus. Atque tunc horrenda

Cap. 25.

sine timore committuntur crimina. Audite clamat s. Ioānes Climacus, autor antiquus, & valde bonus, astū atq; versutiā seductoris omnes, qui castitatē exercere, & seruare delegistis. Etenim vt quidā ex illis ipsis, qui fraudē fuerunt experti, mihi narrauerunt, solet immundus iste fornicationis spiritus, exitiabile suum virus ferè in finem vsque occultare. Interim summam viris religiosi religionis suggerit reuerentiam, & summa forsitan excitat eis flumina quoq; lachrymarum, idque per illud maximè tempus, quo cum mulieribus sedent, & colloquuntur. Suedet præterea callidissimus serpens, vt

D ij eas

eas de memoria mortis , de tremen-
 do extremi iudicij die , deque pudici-
 tiæ virtute admoneant : vt per tales ser-
 mones, taliterque fucatam per religionis
 speciem, illæ ad viros ardētius, & frequē-
 tius accurrant, quasi ad pastores & patres
 suos spirituales: sed pro patribus & pasto-
 ribus, lupos ad postremum inueniāt, &
 parricidas. Nimirum facta tandem fidu-
 cia, & tali firmata consuetudine, tum de-
 mum hostis ille antiquus immundum
 carnis inceptat apertius operari myste-
 rium: & infœlices istos patres cum mise-
 ris filiabus in ruinam præcipitat flagitij.
 Exempla ne nostris quidem hisce nunc
 temporibus defunt, valdè lugēda. Quod
 si autem sic illi doctores de familiaritate
 tantum , & munusculorum nescio qua
 misitatione: quid nos igitur de perenni
 censuram cohabitatione? Quocirca
 succurrat hanc nunc præsentæ sanctitatis
 ad excusationem timoratis conscientijs,
 magnum illud mysterium , quod Iesus
 Christus, cuius omnis actio , totaq; vita,
 in primis nostræ, qui clerici sumus , vitæ
 debet esse instructio ; vt erat sacerdos se-
 cundum ordinem Melchisedech, & vir-
 go na-

go natus de virgine, virgo permanere debebat: ita ex quo tēpore sacerdotale officium, per euangelicæ doctrinæ prædicationem, auspiciatus fuit, nunquā matrē suam postea, virginem licet castissimam, sanctissimāque, nisi breuiter admodum, quasiq; asperè interdum allocutus fuisse legatur, & quidē dissimulato semper atq; suppressio, dulcissimo sanctissimoq; nomine matris. Mulier ecce filius tuus. Quid mihi & tibi est mulier? Alioqui crede mihi, clamat b. Aug. Episcopus sum: episcopo loquor: nō mentior. Cedros libani, id est, altissimæ contēplationis homines, & gregū arietes, id est, prælatos ecclesiæ, sub hac specie corruisse reperi: de quorum casu nō magis præsumebā, quā de aliqua ruina Hieronymi aut Ambr. Et alibi: Quā multi, & quales episcopi, post magnalia, post signa, & miracula, corruerūt & naufragati noscuntur: dū voluerūt in nauī fragili nauigare: Hoc est in carne fragili se exponere periculo cohabitationis, siue confortij mulierum? Quāquam quid attinet, vt Augustini, aut similibus scriptorū verba hīc trutinemus? An non ipse spiritus sanctus per suam nobis quotidie

*Cātipra.
& God-
scal. vt
supra.*

*D. Cay-
thuf. de
vita cu-
rator. ca.
67.*

tidie id ipsum altè occlamat scripturam
Ecl. 42. oracularè: Melior est (subaudi in virorū
 conuersatione) iniquitas viri, quā mulier
 benefaciēs. Nimiū ergo nos ipsi fallimus
 (succlamat ilico b. Cyprianus) quoties in-
 ordinabiliter credimus, existimātes per fi-
 dē nostram legis præcepta mutari: vt inter
 masculos & foeminas speremus passim
De sing. cleric. castitatē posse custodiri immobilem. Ni-
 miū præceps est, qui trāsire cōtendit, vbi
 aliū cōspexit cecidisse. Et vehementer in-
 frenis est, cui nō incutitur timor, alio per-
 eūte. Amator verò est salutis suę, qui cui-
 tat alienę mortis incursum. Sed hæc est
 sēper incredulitas humanę duritię, vt nō
 solūm audiendo, sed etiam videndo, non
 credat alteros interiisse, nisi & seipsum vi-
 derit interire. Nec sociorum mortibus
 quatitur, dū illos emeritos, aut inualidos
 fuisse opinatur: se autē multum mereri,
Gerard. magnus. multūq; valere, fiducialiter putat. Quāto
 circumspēctius Gerardus magnus, cano-
 nicus quondam Aquēsis, & postea fratru
 de vita cōmuni patriarcha. Ille quippe, vt
 ab huiuscemodi periculosis scopulis, cō-
 secratæ melius caueret castitati suę, ne so-
 rores quidē suas, germanas vt vel aspi-
 ceret

ceret, indulgere sibi vnquam ausus fuit. Quod quando discipuli eius admirarentur, respondit verbū adificatione dignū, ait Tho. Camp. Verbū autē quod respōdit, tale erat: Si possem, etiā aures obturarem: ne, quando loquendū est, eas audirē. Omne enim scandalū, & periculū fragiliū personarū, ex incustodia sensuū, & nimia familiaritate venit mulierum. Qui ergo vult seruare cōtinentiam, visum reprimat, & auditū. Hinc ingēs ille ecclesie Christi Atlas, leuita Franciscus, quādo iā longā post corporalē exercitationem, vix quicquam corporis amplius, in toto suo corpore, superstes habere videretur: sic nihilominus vir sanctus cum muliebri, quādo id opus esset, solebat agere sexu: vt vix vllam de facie foeminā vnquā cognouisse scribatur. Hinc idē & in regula sua, hanc voluit suis socijs extare cautionem: Præcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeāt suspecta cōsortia & cōcilia mulierū: & ne ingrediātur monasteria monacharū, præter illos, quibus à sede apostolica cōcessa est licentia specialis. Eādē ob causam (quod mirabilius est) beatū quoq; Hugonē, episcopū Gratianopolitanū, qui

In vita eius cap. 11.

Cap. 11.

D iij &

& ipse egregiū quoddā suo tēpore fuerat ecclesiæ Christi columē, ordinemque in ea nobis excitauit Carthusianum, tā arctā suis semper oculis custodiam ponere solitum fuisse accepimus, vt posteaquam totis quinquaginta annis, magnam per dioecesim, diligenter oues Christi pausisset, nullam penitus, nisi fortassis vnā, de facie foeminam cognosceret. Et tamen, propter munus episcopale, cum quam plurimis, magnis & paruis, nobiles & ignobilibus, vrbans & rusticis, iuueniculis & vetulis, formosis & deformibus, sanctis & peccatricibus, nunquam non agere necesse habuerat. Officia quippe pastoralia, ad confessionum vsque auditionē, per se ipse omnia semper pastor optimus exercuerat. Audierat enim vir doctus & religiosus, memorique semper mente retinebat, id quod dudum ex sacris literis nobis resonabat oraculum: *Eccl. 31.* Oculo nequius quid creatum est? Meminerat per oculorum fenestras, mortem intrare ad animas: idque vt præcaueri possēt, *Iob. 31.* meminerat ter admirabilem illum Iob, virum coniugatum, foedus olim pepigisse cum oculis suis: ne cogitaret de virgine: quandoqui-

doquidē post aspectum, in cogitatione
 primum sit mœchationis initium. Me-
 minerat denique ex aureo Ioānis Chry-
 sost. opere de dignitate sacerdotali, quāto
 sexus muliebris infirmior est virili, tāto
 quidem magis fœminas, quā viros, par
 esse vt episcopus curare semper studeat:
 verū istud dum non satis agitur cautē,
 prudenter, & circumspectē, tum caritatē,
 quæ alioqui omnium bonorum parens
 consistit, in spurcissimam degenerare
 omnium malorum sentinam. Hinc &
 sanctus Andreas Carmelitanus, cuius,
 quando quinquaginta octo esset anno-
 rum, vnanimem in episcopum Fesulanū
 canonicorum electionem, spiritus s. per
 os infantis prodigioso confirmavit suf-
 fragio, non contentus quod ad deuotæ
 semel, sed semper benè tuendas castitatis
 rationes, magnā per sobrietatem corpus
 sibi suum assiduè maceraret, illiusq; nu-
 ditatem, sub vestimentis, ferrea cingeret
 catena, nec alij lecto, quā vitium sermen-
 tis, indormiret, fœminarum præterea
 colloquia, in illa item tam graui iam æta-
 te, talique scleragogia, non aliter quā
 fœcunda quædam vitabat semina vitiorū.

Nam

li. 6. cap.
8.

Sup. ep.
Iam. et
Mart.

Nā de doctore angelico, Thoma Aquinate, norunt theologi auditores nostri pleriq; omnes, meruisse sanctū illum dei hominem, vt sibi primo statim in pubertatis flore, ab angelis sanctis, renes sui zona cingerentur castitatis nunquam soluēda. Subsequentibus nihilominus annis eundem postea virum haud aliter mulierum, quādo nulla cogeret necessitas, aut postularet vtilitas, fugitasse semper colloquia, quā nos à serpentibus nobis cauere solemus, & scorpionibus. Sic ergo illi validi in virtute, & sublimes gigātes: sic illi trepidauerunt, sicq; sibi cauerunt, vt quam semel domino deo suo vouerāt castitatem, illibatā semper possent prestare. Et postea nos humiles in virtute, & imbecilles pigmāi, inque cute curanda plus equo forsitā operati miseri homunciones, talibus ac tantis sic trepidantibus columnis, nullum nobis suspicabimur esse periculum: ne quam, similiter vt illi, vouimus cōtinentiam, ea hinc aut illinc tandem aliquādo violetur & pereat, etiā si iisdem semper in ædibus cum foeminis nostris durare pergamus, ostiarijs, cubicularijs, focarijs? Nam & ista nomenclatione

Dionys.
Carth. de
vita ec-
clesiast.
ca. 14. &
Thom.
Cant. de
bono v-
niuers. l. 2.
cap. 9.
part. 11.

tione honorantur in iure. Atqui quod iā
horribiliter hoc loco animorum nostro-
rum debet percellere aures; peccat mor-
taliter, quisquis se incertitudinis pericu-
lo, aut discrimini cōmittit peccati mor-
talis, teste s. Augustino, autore illo, vt vnā
mecum tenetis omnes, sentiendi grauif-
simo. Itaq; discrimen istud, tā dispendio-
sum tempestiuè vt euitetur: audi quātam
olim sollicitudinem demonstraerit glo-
riosus Christi martyr, idemque ecclesie
eius doctor nobilissimus, d. Cyprianus.
Agens namque de separanda ista, quam
nunc tractamus, masculorum cum fœ-
minis cohabitatione: cū, inquit, apo-
stolus dicat: Nolite locum dare dia-
bolo, liberanda est vigilanter de pericu-
losis locis nauis: ne inter scopulos &
saxa frangatur. Eruenda est velociter
de incendio sarcina, priusquam flammis
superuenientibus concremetur. Ne-
mo diu tutus est, periculo proximus. Et-
enim vt oraculum insonat spiritus san-
cti: Qui amat periculum peribit in illo.
Amat porrò periculum, qui quando
potest, non vitat. Ac perit isto qui-
dem in cohabitationis periculo: perit
in-

li. x. epist.
11.

inquam sacerdos, nō tunc primū, quādo venit ad coitum, & lamentabilem deinde deuotæ continentiae ruinam palpabilia illa conuincunt argumenta, currentia per terram; sed multo etiam antenempe mox ut viderit dumtaxat focaria suam ancillam, ad concupiscendum eam: nec id sæpius quàm semel. Iam tum enim oculus deprædatus est animam eius. Iam tum (miserabile dictu) consecrata castitatis suæ sacrarium, per obscœnam violauit concupiscentiam: proque templo spiritus sancti, fœdū in corde suo erexit prostibulum Asmodæo, spiritui immundo. Sed hîc nos ipsa iam interquiescere monet præmatura nox vesperiarum. Quibus igitur ad similem cras simili cum patientia libuerit redire cœnam scholasticam, simile à nobis ethicum illis expectare licebit symbolum.

S E R.

S E R M O
TERTIVS.

EST deinde illicita hæc promiscua sacerdotum cum mulieribus mansio, ex eo quod luculentam quandam præ se ferat speciem mali. Debent siquidem cum omnes omnino Christiani, tum præcipuè sacerdotes, non solum ab omni se semper abstinere malo, verum etiam ab omni diligenter cauere specie mali: ne fortè si vel per speciè mali alijs offendiculo fuerint, iam ingens oboriatur periculum: ne propter contemptibilem vitã ministrorum, ipsum aliquando sanctissimum eorum contemnatur quoq; ministeriũ. Neminis 2. Cor. 6. dantes vllã offensionẽ, vt nõ vituperetur ministeriũ nostrũ. Trahit autem ista, quã nunc tractamus, cohabitatio nõ minimã ex eo mali speciẽ, quod sacerdotibus propter perpetuæ votum castitatis, quo eos teneri obligatos, omnibus notissimũ est, nõquam ad opus cõiugale procedere, fas sit; sed totam debeant in cœlibatu, eoque casto ac illibato, sicut cœlites, transigere vitam. Etenim veluti communis quidã D. Sotus de iust. et iure li. 7. qu. 50. ar. 3. apud

apud vulgus habetur cōceptus, semperq;
 habitus fuit, esse quasi impossibile, vt illi-
 batā is semper, sicuti vouit, mente & cor-
 pore tueatur castitatē, cum quo eadē sem-
 per in domo, foemina versari cōspicitur.
 Hunc porrò communē aduersus ancilla-
 tores presbyteros, quē diximus cōceptū
 vulgi, in primis probrosum illud, & pudē
 dū in focarias ipsorū, & culinarias ancil-
 las palā & apertē testatur adagiū: mech-
 ne de prestres: siue quod apud Teutones
 horribilius sonat, Papen hoer, id est, scortū
 sacerdotis: quodq; tot ante annorū cē-
 turias, in id genus cohabitatrices, & coha-
 bitatores, Antiochiæ cōfictum fuisse no-
 uerūt eruditi, infame vocabulū *ἐπεισά-
 κλων καὶ συνεισάκτων*. Talia enim diēteria,
 talesq; appellationes, nō aliter iactātur in
 vulgus, ac olim iactata fuerunt, quā si per
 hoc ipsum sinistram de se foemina suspi-
 cādi prēbere crederetur occasiōē, quod
 sese ad ancillandum in domū dedere nō
 reformidet presbyteri. Neque verò est
 quod, hac quidē in re, leuis de nobis su-
 perbē contēnamus iudicia vulgi; quādo
 seuerissimē prohibitum sit scandalū etiā
 vnius alicuius pusilli. Quid quod cōmuni
 eiuf-

*Euseb. 16
 7. hist. ca.
 30
 iuxta gra-
 ecam. dist.*

Math. 18.

eiusdē existimationis cōceptu grauet ordinē nostrū, ipsæ quoq; summorū, apud Christianos, principū sanctiones? Certē authētorū collatione 9. legimus, iā olim Imperatorem Iustinianū presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omnibus in clero conscriptis, interdixisse, ne vllam in domo propria superinductā haberēt mulierē, præter matrē, aut sororē, aut filiā, aut alias similis generis personas, quæ omnē effugiūt suspiciōnē: episcopis verò nullā prorsus, ne matrē quidē, aut sororē permisisse, vt domi suæ sustinerēt mulierem: quippe qui se totius cleri formā præbere debeāt. Qua ex forma facilē cōsequatur, vt clerici inferiores extraneas saltem nō grauatē suis ædibus excludant mulieres: quando prius prælatū suū episcopū, sua à cohabitatione, foëminas arcere cōspiciūt, citra exceptionem, omnes. Multoq; antè tale fecerāt interdictū Honorius & Arcadius: Eū qui probabilē sæculo disciplinā agit, decolorari cōsortio sororię appellationis nō decet. Quicūq; igitur cuiuscūq; gradus sacerdotio fulciūtur, vel clericalis honore cēsantur, extranearū sibi mulierū interdicta cōsortia cognoscāt. Nota verbū decolorationis. Plura apud Photiū patri-

*tit. 15. de
sanctiss.
episc.*

*Cod. li. 1.
de episc.
& cleric.
li. 19. tit.
6.*

patriarchā Cōstantinopolitanum, tit. de parœcijs . Quorsum autem illiusmodi functiones sæcularium principum, de statu clericorum, nisi quod aliter quādo uiuitur, deuotæ tunc semper arbitrentur periclitari virtutem castitatis, illudque periculum quā longissimè optarent esse remotum? Vnde eodem statim in titulo, idem, quem allegauimus, subiungit imperator, Iustinianus: Si quis autē episcopus hoc probetur nequaquā custodiens, sed scēminam aliquam, qualem illā cumque, sibi cohabitare admiserit; ab episcopatu eiiciatur. Ipse enim se episcopatu ostēdit indignum. Amplius dico. Grauat nos, prō dolor, cōmuni flagitiosæ huius suspensionis conceptu, eminentissimorū præterea, in ecclesia Christi, sacerdotum & theologorum autoritas. Quid enim s. Bernardus, qui suo seculo curus Israël, & auriga fuisse uideri potest? Ignis, ait, & stuppa flammam nutriunt in vnum posita. Nec aliter vir & scēmina, si in vnum positi fuerint, licet malum non faciant, tamen per malam inter se assiduitatem, malam nutriunt famā. Cūque quidā, per id tempus, quendam criminarentur cleri-

*De modo
bene vi-
uendi ad
religios.
chr. cap.
58.*

clericum, deque incōtinentiæ suspectum haberent flagitio, propterea quòd focariam quāpiam domi suæ foueret mulierculam: audiamus quid vir sapientissimus rescripserit, posteaquam clericus ille, tales per suspiciones & obloquia, iniuria se affici, quiritatus esset. Quotidie, inquit, bone vir, conuersaris cum foemina: & continens vis putari? Esto quòd sis: maculam tamen suspitionis portas. Scādalum mihi es. Tolle materiam, & causam scandali. Alioqui cum foemina semper esse, & foeminā non cognoscere, hoc ego maius reputo, quā fuscitare mortuos. Qui ergo quod minus est, non potes, quod maius est, quomodo credam tibi? Diuum Hieron. quādo hīc sanctam suam effundere audimus bilem, ille istiusmodi cohabitaticibus, nouum sine nuptijs nomen imponit vxorum, nouum eas appellat concubinarum genus, & vniuiras vocat meretrices. Miraturque vir sanctus, vnde pestis ista in ecclesiam introierit. Et b. Ioan. Chrysoft. si inquit, potest æthiops mutare pellem suam, aut pardus suas varietates, poterunt & mulieres tales, quæ sacerdotibus cohabitare nō reformidāt,

E macu-

*Ad Eusebium
Stoch. de
custod.
virginitatis.*

*In sermone de
ipsis.*

maculam deponere ignominia. Sic illi,
Nec mirum. Re namque vera communis
iste vulgi cōtra nos, nostraque cōtra foe-
minina contubernia conceptus, quē &
ipsi, tres isti sacerdotes, & ecclesiae docto-
res minimè vulgares, tam apertè suo, vt
iam vidimus, suffragio confirmant, sacrae
quoque scripturę fulcitur autoritate.

Eccl. 4. 2. Quid enim ecclesiasticus? In medio mu-
lierū noli conuersari. De vestimētis pro-
cedit tinea: & à muliere iniquitas. Quid

Eccl. 7. Salomon? Lustraui vniuersa animo
meo; vt quærerem sapientiam & ratio-
nem, & vt cognoscerem impietatem
stulti, & errorem imprudentium. Et in-
ueni amariorem morte mulierem: quę
laqueus venatorum est, & sagena cor-
eius: vincula sunt manus illius. Qui pla-
cet deo, effugiet illam. Quodque pro-
positi nunc nostri vicinius collineat sco-

Prov. 6. pum: Nunquid potest homo abscon-
dere ignem in sinu suo, vt vestimenta il-
lius non ardeant: aut ambulare super
prunas: vt non conburantur plantę eius?
Sic qui ingreditur ad mulierem proxi-
mi sui, non erit mundus, cū tetigerit
eam. **Quod si enim sic sese res habet, sa-**

era

era attestante scriptura , de viro, qui so-
lùm ingreditur ad mulierē proximi sui,
& tangit eam : quid ergo suspicandum
relinquitur, de continua ista sacerdotum,
atque domestica cum mulieribus eodem
sub tecto mansione ? Postremò com-
munis hic aduersus tantam audaciam
licentiamque , tanquam oppidò de in-
continentiæ peccato suspectam, popu-
li conceptus, ex ipso videtur oriri lumi-
ne naturali : si modò penitusculè in-
trospicere velimus, qua deus opt. max.
humanum genus conditione architecta-
tus fuerit . Hanc siquidem conditionis
speciem quando olim quidam confide-
raret senior, audiamus, si placet, qua
eum oratione vsus fuisse scripserit b.
Sophronius, sicubi aliquos, quorum ca-
stimoniam deo erat consecrata, cum mu-
lieribus degere cerneret, talemque con-
uersationem dissipare niteretur: ne per
illiusmodi licentiam, ad eam aliquando,
quò natura inclinatur, deueniretur cor-
porum commixtionem . Filioli, inque-
bat, sal ex aqua est, & si appropinquaue-
rit aquæ, continuò soluitur & deficit.
Et monachus similiter ex muliere est.

E ij

Ita.

*Sophon:
in praxo
spirituali
ca. 217.*

Itaque si appropinquauerit mulieri, soluitur & ipse : atque in id deficit, vt iam monachus non sit. Copulatur quippe cum muliere, fitque geminus, qui iuxta nominis sui interpretationē, solus esse, & solus semper permanere debuerat. Est enim peculiare generi humano, quod in eo de carne masculi & costa, condita existat foemella. Cūque cætera animantia, non nisi certis quibusdam recurrentibus anni temporibus in coitum ardeat, solus homo utroque in sexu, omni die ad genialem valet congressum, ad eumque stimulis naturæ nullo non anni tempore incitatur. Vnde fit, vt nullo item non tempore, ab illicita sibi vehementer necesse habeant monachus, & sacerdos timere coitus appetitione, quodocumque cum mulieribus indiscretè conuersari præsumunt. Nec dissimilem in modum multo antè, eadem de cōsecratis commentatus fuerat virginibus s. Basilius, magnus ille theologus, nec minor philosophus. Totum naturali instinctu, appetit semper vt insit in suis partibus : ac partes reciproci per desiderium appetunt, vt insint in suo toto. Hinc fit, vt sicut mulier creata existit

*In lib. de
conseruā-
da Virgi-
nitatis
integri-
tate.*

stet de corpore viri : ita naturali vicissim appetitu vir & mulier vnum cōuenire in corpus, vnoque sibi inuicem coniungi in corpore, & cohærere desiderent. Atqui illiusmodi copulatio cū apud eos, qui se propter regnum cęlorum semel castrauerūt, nefas sit, vllum vt vnquam locum sortiatur: attamē, quod iam tristissimum scandalum est, putantur ilicò, quamlibet repugnante sanctitate voti, naturali talis coitionis concedere velle concupiscētię sacerdotes & monachi, mox vt foeminā sibi aliquam, ad cohabitādum, adiunxisse cernuntur. Neque enim tale cōtubernium qui vident in populo, animum sibi suum facilè inducere possunt, nos prolatarios cōtinentię professores, sic semel propter regnum cęlorum fuisse castratos: vt nō aliquando, in terra iterum corporum nostrorum, pristinus ille naturę vigor, & insitus coeundi appetitus, reuiescere queat: præsertim si ad commouēdam concupiscentiam, ex quotidiana foemellarum conuersatione, quotidiana cernantur non deesse suscitabula. Nimirum audierunt interdum, vel legerunt etiam, Leoni magno, & pontifici maxi-

E iij mo,

mo, quando ei in festo paschæ mulier quædam manum, sacra in communionem, obiter osculata esset, talem dumtaxat per contactum quasi fortuitum, minimè certè affectatum aut cogitatum, adeo ardentem ilicò ad animam proserpsisse libidinis flammam: ut sibi ipse scandalizantem illam manum amputare vir sanctissimus non dubitaret: quo ita passionem indignam, non indigno plecteret supplicio, ipse sibi suus carnifex. Audierunt item, vel legerunt etiam, præter alia, s. Iacobum eremitam, tam cautum tamque rigidum castimoniam suam fuisse custodè: ut quando semel fortè fortuna, mulierculam quandam, necessario (ut quidem existimabat) sic urgente caritatis officio, altera saltem manuum suarum attingere cogeretur, attingere tamen noluerit, nisi alteram manum exporrectam teneret in igni, illiusque sic digitos exuri sibi permetteret. Et talem nihilominus virum, iam senem, posteaquam miraculis clarus, quinquaginta annis in sanctitate & iustitia deo fidelissimè seruiuisset in eremo, omnis continentie suæ, eadem in eremo, oppidò quam turpiter luctuo-

Sur. 23.
Iam.

luctuosissimum in puella quadam fecisse naufragium. Et quanam putatis in puella? Ipsa illa in filia sua quadam spirituali, quam recens, vno nempe aut altero antè die, per miraculum demoniaca liberauerat obsessione. Nouerūt præterea per foeminas similiter, nulla licet affectata familiaritate, in profundissimū nunquam obscœnitatis barathrum repente corruisse, & quidem fœdis cum essent conclusi carceribus, illos qui post variam thaumaturgiam, variumque miraculorum splendorem, ante sæua etiam tyrannorum ora, Christi nomen gloriose confessi erant. Denique, ne multa repetam, succurrit eis subinde & illa notissima diui Hieronymi, ipso de Hieronymo historia. O quoties ego ipse in cremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridū monachis præstat habitaculū, putabā me Romanis interessē delitijs? Sedebam solus: quia amaritudine repletus erā. Horrebant sacco deformia mēbra: & squalida cutis sitū æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus. Et si quando repugnantem somnus im-

E iij

mi-

*S. Macar.
hom. 19.
& Adon
in vita
S. Victo-
rini, epis.
& mart.
S. septēb.*

*Ad Euseb.
Stoch. de
eustod.
virginitatis.*

minēs oppressisset, nuda humo, vix ossa
 cohærentia collidebam. De cibis & po-
 tu taceo: cùm etiam languentes, aqua fri-
 gida vtantur, & coctum aliquid accepisse,
 luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehēna
 metum, tali me carcere ipse damnauerā,
 scorpionum tantum socius & ferarum,
 sepe choris intereram puellarum. Palle-
 bāt ora ieiunijs: & mens desiderijs æstua-
 bat in frigido corpore: & ante hominem
 suum, iam carne præmortua, sola libidi-
 num incendia bulliebant. Itaque hæc, &
 similis generis alia multa, dum recor-
 dantur populares, hēsitant, turbantur,
 atque mirantur, ecquo tandem modo
 nos triuiales dumtaxat, vixque triobola-
 res continentia custodes, nec sic, vt illi
 sancti dei homines, cum carne nostra bel-
 lantes, ignem quasi in sinu indefinenter
 gerere possimus, dum perpetuò focariā
 aliquam domi fouemus: & nihil interim
 vreremur vnquam, aut estuaremur. Quid
 quòd ex communi illo, quem nunc ex-
 posuimus, humane persuasionis conce-
 ptu, aduersus ipsum etiam dominum &
 saluatorē nostrū, vnicum illum virgini-
 tatis fontem, atque magistrum perfectis-
 simum,

simum, eundemque deum simul & hominē, nō dico æmulatores scribę & pharisei, sed ipsi eius beneuolētissimi amici, & discipuli, nescio quid (si fas est dicere) lubricitatis aliquando suspicari compulsi fuissent: nisi eos maiestatis notitia compecuisset? Sic enim illud ante nos intellexit, autor libri de singularitate clericorum, quod eum ad puteum, cū esset fessus de via, solum cum sola quapiā colloquentem offendissent foemina discipuli. Eodem modo eandem scripturam in opere suo, de bono vniuersali, intellexit Thomas Cantipratanus, diui Thomæ Aquinatis equalis. Mirabantur, inquit, discipuli de Christo, qui erat vt homo, ita & verè deus, & ideo ab omni suspicione remotus. Mirabantur autem, quòd cum muliere loqueretur. Quid ergo tibi faciendum est, ô homo peccator, qui carnem gestas infirmam, & naturam infectam? Vtque in ore trium testium stet nobis hoc verbum: sic eundem scripturæ locum iam olim doctor græcus interpretatus fuerat, Eusēb. episcopus Cæsariensis, de demonstratione euangelica lib. 3. cap. 10. Verba si forte requiras, sic

*De bono
vniuersali
lib. 2.
cap. 32.
par. 47.*

fic habent: Quum veteribus dictum fuisset, Non mœchaberis: dominus & saluator noster, Iesus Christus, suis edixit discipulis, quòd omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Vndè cū eum quodam tempore, propter multorum utilitatem atque salutem, necessariò cum Samaritana muliere colloquentem postea vidissent eius apostoli; mirati fuerunt, quòd cum muliere loqueretur. Nempe paradoxum quoddam, quantum alias nunquam, ea in re se videre arbitrabatur. Vndè quando alio postea tempore puellam quandam recens mortuam, diuinam suam per thaumaturgiam, reuocaturus esset ad vitam, cubiculum tunc, vbi mortue puellae iacebat cadauer, solus intrare noluit. Namque ad miraculi quidem quod attinet veritatem, & claram veritatis confirmationem, potuisset utique, vt solus miraculosum perpetrare opus, ita & solus ingredi conclauem, & quam omnibus planissimè constabat verè esse mortuam puellam, simulatque ad vitam resuscitasset, foras eam ex secreto cubiculo in publicum omnium producere conspectum. Verum vt pu-

dici-

dicitię quanta, quamque diligens, & circumspecta sit apud infirmos habenda ratio, suo ipsius nos doceret exemplo: noluit magnum illud facturum miraculum introire cubile, nisi matrem puellę, & patrem, tresque ex discipulis suis, testes sibi adhiberet apostolos, Petrum, Iacobum, & fratrem eius Ioannem. Quare, ait Ioannes Soarez, pontifex Conimbricensis, scriptor doctus, & pius, tu quoque similiter, quisquis es o Christi sacerdos, ne ad mortuam quidem accedas vnquam mulierem, nisi testibus comitatus benę idoneis. Etiam si miracula facias o homo, ne sic quidem ad foemina, quantumcumque illam mortificatam, ingredi vnquam pręsumas, nisi forte quinque adhibeantur testes. Fragilis siquidem caro nostra, vt veram animę & corporis conseruare valeat integritatem, quintuplex requirit pręsidium, scilicet b. Petri fidei firmitatem, Ioanis puritatem, Iacobi (qui luctator interpretatur) resistentiam, & patris intellectum, vtique rectum, & voluntatis (quę tanquam mater habetur) bonam inclinationem. Sic ille hac nostra nunc etate episcopus.

Quę

Tract.
106. in
Luc. cap.
8.

Que omnia, cum ita se habeant, dubita-
 mus adhuc fratres, iurene an iniuria, nos
 nostraque, non dico fortuita quedam cum
 mulieribus ad puteum colloquia, aut ra-
 ros etiam, & singulares ad eas accessus,
 sed ancillaria ista contubernia, vulgus ho-
 minum in incontinentiæ ausit trahere
 suspicionem? Dubitamus adhuc, iure an
 iniuria, nos nostrasque tales cum foeminis
 perpetuas cohabitationes, talibus non-
 quam audiamus ab eis proscindi dicte-
 rijs? Si non castè, saltem cautè. Nostra in-
 quam ancillaria contubernia, qui sumus
 mali, & ad omne malum nostrapte natu-
 ra propensi, quique semper & ubique li-
 bidinis scaturiginem nobiscum circum-
 ferimus in lumbis nostris? Sed ego vetu-
 lus sum, respõsabit iam quispiam ex mu-
 lierosis presbyteris: aut mea focaria, mea
 cara, & agapeta mea, vetula est, valdeque
 deformis. Dicas remedium esse amoris.
 Desierunt iam pridem hinc muliebria,
 inde virilia. Quæ hîc iam (cedo) species
 mali: quidue periculi: ecquod tali in co-
 habitatione scandalum: nisi fortè Phari-
 saicum, malitiosè acceptum, non datum,
 proptereaque contemnendum? Audia-
 mus

mus igitur quid ibidem idem subiungat autor, Thom. Cantip. Si iuuenis es, nulla securitas: si senex, experire in te cum illo qui dixit, Recede mulier: adhuc igniculus viuit. Quid de se sentiant iuuenes, nescio. Ego autē iā sexaginta annorū sum, vno minus: & vndique perstreptentibus malis, casum adhuc lubricitatis horresco. Similiter de se scribit magnus ille sui corporis castigator, & iam senex Greg. Nazi. in carmi. Memor quoq; sum (addit Cantiprat.) facti, quod moderno tempore prope Cameracensem dioecesin accidit. Quidam clericus, à pueritia coelebs & castus, post longum theologię studium, in solemnibus, conuentualique ecclesia canonicatum est adeptus. Animarum ergo zelo ductus, præbendam pro parochiali ecclesia commutauit. In qua cum per septennium fructuosè multum, & laudabiliter laborasset, prædicationeque & exemplo animas Christo esset lucratus, quas diabolus conabatur auferre: accidit vt virgo sexagenaria, quæ cilicium ipsius sacerdotis lauare, ac mundare solebat, sola sine teste vel focia, thalamum ingrederetur. Quid plura? Ad tam nefandum infortu-

li. 2. cap.
3. par.
48.

fortuniū res deuenit: vt ambo sacerdos,
 & mulier illa sexagenaria, antequam sepa-
 rarentur, diu seruato virginitatis & casti-
 tatis lilio priuarentur. Ex qua re mulier
 quidem iam sexagenaria, in tantum do-
 luit, vt præ nimia amaritudine, mortem
 acceleraret in planctu: sacerdos verò ex-
 pertus incognitum, in luxuria adhuc (vt
 credimus) vilissimus perseuerat, iuxta il-
 lud poëticum: Vt canis à corio nūquam
 absterrebitur vncto: vel quod melius ora-
 cularis nobis refert scriptura, Homini
 fornicario omnis panis dulcis: non fati-
 gabitur transgrediens vsq; in finem. Au-
 diamus quemadmodū cū libros suos
 scriberet b. Augustinus aduersus Iulia-
 num, nunciatum tunc ille sibi fuisse te-
 stetur, senem quendam octoginta qua-
 tuor annorum, postquam religiosè cum
 coniugè religiosa vinginti quinq; vixisset
 annis continenter, tam sera tandē æta-
 te, & post tot annorum continentiam,
 ad libidinis sibi oblectamenta, foemi-
 nam quandam emisse lyristriam. Adeò
 non erat de nihilo, quod qui sanctam
 Susannam constuprare conati sunt ne-
 bulones, eos senes fuisse commemora-
 uerit

Eccli. 23.

*li. 3. cap.
11.*

Dan. 13.

uerit scriptura sancta : & Salomonis ^{3. reg. 11.}
 cor tūc per mulieres fuisse deprauatum,
 quando iam consenuisset: quodque apo-
 stolus Paulus, per episcopum Titum, etiā ^{Tit. 2.}
 senes de præstanda tuendâq; moneri vo-
 luerit pudicitia, seu castitate: ne in aliena
 iâ ætate (ait ibi d. Hieron.) turpiter adhuc
 libidini vacare viderentur. Quod si exci-
 piat ancillariolus sacerdos, talia non nisi
 rara esse exempla: subijcio ego, rara forsi-
 tan esse, talibus quidem hominibus, au-
 ditu: at non item alijs euentu. Nisi enim
 persèpe in vetulis, effœtisq; corporibus,
 iuuenilis adhuc flagraret ignis libidinis:
 nūquā scripsisset b. Hieronymus, agēs de
 vitandis suspectis contubernijs, in nullis
 ætatibus tutam esse libidinem: nunquam
 ad territādū senes, sic de vetulis quidā ad
 aures cuiusdam vetuli satyricus cecinisset
 poëta. Concumbunt græcè: dones tamē ^{Iuuenal. Sat. 6.}
 ista puellis. Tune etiam, quam sextus &
 octogesimus annus pulsât, adhuc græ-
 cè: Non est hic sermo pudicus in ve-
 tula, quoties lasciuum interuenit illud
 Ζωνὴν καὶ ἴσχυρην, modò sub lodice relictis
 vteris in turba. Quod enim non excitat
 inguen (quasi diceret siue iuuenile, siue
 seni-

SUP. 19.
1001j.

De bono
uniuersa-
li li. 2.
cap. 30.
part. 12.

fenile) vox blanda atq; nequam? digitos
habet. Sed ne quid nimium: digito com-
pescio labellum. Sic s. Romualdum, abba-
tem, in grauiſſimam legimus, apud disci-
pulos suos, tunc incontinentię veniſſe
ſuſpicionem, quando iam plüſquam cē-
tenarius eſſet, déque illiuſmodi crimine
vt faceret fatiſ, multorum menſium cō-
puluſum fuiſſe ſubire pœnitentiam. Sic
Thomas poſtea Cantip. varijs ille in locis
(cũ viueret) ſacramenti pœnitentię ad-
miniſtrator, non rarò, ſed frequenter, per
confeſſionis ſe experientiam cognouiſſe
ſcribit, homines oĉtogenarios, & cente-
narios, vitioſa adhuc contra naturam li-
bidine inuolutos teneri. Nec diſſimilia, ſi
rectè memini, ſua de experientia, teſtata
nobis reliquit Ioãnes Gerson, vniuerſita-
tis Parrifienſis cancellarius. Quod ſi ergo
tam decrepita ætas, iamque capularis, in
libidinem frequenter contra naturam,
Sodomitarum, & mollium ſpintriarum
more, ardere nihilominus cognofcitur:
quid hîc queſo ad excuſationis ſpeciem,
vulgarium nobis vetularum, & vetulo-
rum obtēditur peplum? An non (quod
pudor vix inuitum dicere ſinit) contra
natu-

naturam, immundo sic instigante spiritu
 Asmodæo, in bruta quandoq; peccatur,
 & valdè deformi vitula? An exempla hîc
 nobis, & quidem publica, desunt? Quid
 ni igitur vehementer timeamus, ne (codẽ
 præsertim prunas incendẽte spiritu) mul-
 to citiùs secũdum naturam, in congene-
 realiqua peccetur vetula? Certè teste Cy-
 priano, in talibus tanto peccatur facilius
 licentiusq; , quanto secretius, & securiùs
 speratur fore delictũ: quantoque minùs,
 humani pudoris & supplicij, talium ex
 copula, timeri solet periculum. Scilicet
 quamuis mortuum sit corpus (ait post d.
 Hieronymum b. Thomas Aquinas) viuit
 tamen diabolus, & spirat semper, nec vn-
 quam senescit, aut frigescit. Hic ille est,
 qui artificio suo sic vetulas depingit mu-
 lieres, atque venustat, sicque deformes
 nouit mangonifare anus: vt cæcutienti
 cupidini, & iuuenes satis, & satis estimen-
 tur formosæ. Ecce igitur expositam nũc,
 quam pleriquẽ clerici agnoscere in mo-
 ribus suis detrectant speciem mali, quãdo
 fœminarum sibi cohabitationẽ indulgẽt.
 Quapropter cùm hæc ita se habeant, sit-
 que nefas non minimum, quòd de sacer-

*De fruga
 clericis.*

*De puri-
 tat. com-
 scien. ca. 14.*

F

doti-

dotibus, qui lux debent esse mundi, & sal
 terre, indefinenter & passim tam impro-
 bè sentiat populus, vt contra sanctissimā
 voti religionē, corporum eos, & animo-
 rum suorum suspicetur polluere castita-
 tem: iure diuino tantum scandalum de
 medio submouere compelluntur. Quia
 verò scandalum, partem non minimam,
 ex licentiosa nimis cum fœminis oritur
 cohabitatione, vt iam demonstraui-
 mus: consequēs profectò est, vt propter amo-
 rem proximorum, illum speciatim tolle-
 re properent lapidem offensionis. Vnde
 Gerardus ille magnus, per quem virum,
 cū viueret in terris, multa & magna deus
 operatus fuit, dicere non dubitauit, quòd
 sacerdos aut clericus, cum muliere habi-
 tans secundum iura prohibita, etiamsi
 nihil mali agat cum ea, mortaliter tamen
 peccet, vel ex eo, quod det alijs scandali
 grauis occasionem. Dura quidem sentē-
 tia: sed quam ego à nullo postea doctore
 reprobata esse commemini, approbatā
 teneo à sancto Dionysio Carthusiano,
 doctore ecstático. Nec mirum. Nam si
 Christus dominus, ipsa illa incommuta-
 bilis & prima veritas, satius esse pronun-
 ciauit

*Dionys.
 Carth. de
 vita &
 regim.
 archid.
 ca. 22.*

ciauit, per molam asinariam collo alligatam, demergi in profundum maris: quã vt quis vel vnum quẽpiam istorum scandalizet pusillorum, qui credunt in eum: ecquid tandem illorum de facto, factique pertinaci ominandum nobis restabit cõ-
 tinuatione, qui sacerdotes cum sint, & salus populi propterea esse debeant, illi ipsi per anomalam vitę suę compositionem, non vnum aliquem pusillum aut alterũ, sed ipsam continuò pusillorũ scandalizant, & scandalizare pergunt communitatem? Quid cogitandum aliud, quàm quod iudicium durum maneat eos, qui præsumunt: & potentes sint potenter passuri tormenta? Etsi enim pleraq; ex ijs, quæ ^{Sap. 6.} huc vsque disseruimus, laicorum quoq; suo quodam modo, contingunt familias: tanto tamen peculiarius spectant ad clericos, eosdemque grauius vrgent omnia, quanto ex eorum libidinoso lapsu, aut fama decolorata, nocētius semper, quàm ex laicorum ruina, solet in ecclesia Christi excitari scandalũ, & maius eius ad rēpub. redire detrimentum. Apud laicos, ancillarum contubernium, multiplex excusat & tuetur necessitas: propter quã

F ij fit,

fit, vt ille qui tentat, non tantum ibi semper, quantum potest & vult, tentare miseris permittatur mortales. Apud clericos quia eadem necessitatis causa non est: neque enim habent (verbi causa) aut vero habere possunt vxores, vel infantes, quos domi suae educunt liberos, masculos aut foemellas: non similiter eis, eorumque, talibus quidem in contubernijs, deus ad opitulandum concurrit familiaribus. Quin potius sicut isti sine vlla deum necessitate quasi tentare velle videntur: ita diabolicis ille vicissim tentamentis facilius eos citiusque, sibi & viriculis suis relictos infirmis, succumbere iusto suo iudicio permittit. Et quanto clerici, postquam perpetuam semel continentiam voverunt, peccant grauius & nocentius, si cadere contingat, quam laici: quantoque eos magis quam laicos, daemones cadere gestiunt, & vt cadant, magis etiam sollicitare gaudent: tanto utique solertiùs ipsi quam laici, omnia omnino euitare semper debent cadendi pericula, ad maiorem tamen dei gloriam, tum proximorum edificationem, tum suam ipsorum etiam salutem. Verum iam tempus est ad mensam vt procedamus

secun-

secundam: ne hîc nimis alioqui desideamus diu.

S E R M O
QVARTVS.

HActenus, viri ornatissimi, lautè, vt auribus percepistis, & opiparè omnia. Sequitur vt varium istū, & splendidum aliorum post apparatus hominum doctissimorum, nos quoque nunc nostrum, hanc ad refectiōem spiritualem, ferculum aliquod proferre incipiamus. Quocirca ad tertium, vt promisimus, progrediamur locum, ibique de quæstione proposita, illi quid sentiāt, quos patres quotidie appellamus, arrectis auribus, & vt filios decet obsequētes, attentis etiam animis audiamus: quancquā ex ijs, quæ superioribus locis obiter producta sunt, eorum sententiam, quænam sit, haud difficulter odorari licuerit. Ac primum quidem conuertamus nos, si placet, ad sanctos, Antonium, Basiliū, August. Benedictum, Bernardum, Brunonem, Celestinū, Dominicū, Franciscū, Ioannem Matan, & Franciscum Valesiū

F iij

Tri.

Trinitarios: denique ad omnes omnino illos, qui primi alicuius religionis patriarche vnquam extiterunt, aut reformatores insignes, ad Ignatium vsq; Loyolam, societatis Iesuitarum, nostra nunc ætate, primarium ducem. Conuertamus nos ad istos sanctos; & de præsentis quaestione ipsis quid illi operibus suis nobis respondeant, auscultemus. Quid enim? An non & ipsi, & ipsorum primi semper confratres, proximique deindè successores, omne prorsus omnium foeminarum consortium, quàm longissimè à sanctis sodalitorum suorum septis, haud secus quàm nocentissimam quandam luem, auersam semper curauerunt? An non quod illi lōgissimis regionū & sæculorum à se inuicem spatijs remoti, tam nihilominus vnanimi fecerunt semper inducti cōspiratione, nefas omnino fuerit dubitare, quin facti sui ipsum sibi habuerint, atque etiamnum habeant autorē spiritum sanctum? Sat scio clericos sæculares, nō esse monachos, aut religiosos. Sed enim, quicquid huius, venerabiles illi patres omnibus semper fecerunt temporibus, nūquid non ideò fecerunt, vt quam deo

vouc.

vouerant, vel vouebant castitatem, eam
 tota fideliter vita integram præstare pos-
 sent, & à sinistris hominum suspicioni-
 bus fermunculisque seruare intaminatâ.
 Atqui hæc iam cunctis nobis sacerdoti-
 bus, licet sæcularibus, tota causa cū mo-
 nachis, & religiosis omnibus, penitus est
 ex æquo cōmunis. Nimiumq; displicet
 semper deo stulta quorumcunq; homi-
 num promissio. Stultissimam autē quis
 nobis nisi stultè negabit esse promissio-
 nem, si quis dum finem aliquem promit-
 tit, media semper negligat. Nec potest ni-
 si impudenter negari, quin ad perpetuā-
 dam tota vita castimonix integritatem,
 præsertim si deo semel deuota fuerit, cō-
 modissimum in primis, quasque neces-
 sarium omnino occurrat medium, perti-
 nax diuersi sexus vitatio. Scripsit quidem
 venerabilis pater d. Hieron. Ama scientiā
 scripturarum, & vitia carnis nō amabis;
 mediumque tale & nos quoq; lubenter
 amplectimur. At verò Origenes ille Ada-
 mantius, nunquid non in cælestium scri-
 pturarum studio, vsque adeò, sine vlla in-
 termisione, intentum semper gessisse a-
 nimum & occupatum legitur, vix vt præ-

Eccle. 5.

*Niceph.
 l. 5. c. 5
 Or. 8. &
 Suidas.*

F iij

nimio

nimio studēdi ardore homo χαλκείος
 dormire, māducare, aut bibere videretur.
 Et tamen simulac̄ inter foeminas quoq;
 docendi causa, cōuersari neesse haberet
 doctor ille diligentissimus, ferro tunc se-
 metipsum ilicō castrare non dubitauit:
 haud secus quā si tale facinus aliter se, in-
 columi quidem mētis & corporis casti-
 tate, aggredi non posse, edita voce pro-
 testari voluisset. Quare meminimus
 hīc semper, cum Greg. magno, quomo-
 do ter venerabilis pater, b. August. quan-
 do iam presbyter esset factus, relictis va-
 nitatibus huius saeculi, vt quam in sacri
 ordinis susceptione deo, de corpore suo,
 semel promiserat castitatem, sine vlla
 eam mala suspicione, syncerius praestare
 semper valeret; ne sororem quidē suam
 cohabitare sibi sustinuerit. Verba super
 hac sanctissima sancti August. cautione,
 apud Possidonium, sic habent: Foemi-
 narum intra domum eius nulla vnquam
 conuersata est, nulla mansit, nec qui-
 dem germana soror. Sed neque patruī
 sui filię, aut fratris sui filiæ. Dicebat verò,
 quia etsi de sorore & neptibus secum
 commorantibus nulla nasci posset suspi-
 cio

Dist. 81.

Possidon.
 in vita
 S. Augu.
 c. 26.

cio mala , tamen quoniam illæ personæ sine alijs necessarijs, secumque manentibus foeminis esse non possent, & de his foeminis, quæ ad eas etiam à foris intrarent, posse offendiculum aut scandalum infirmis nasci, & illos qui cum episcopo, vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus foeminarum personis vnà commorantibus, aut aduentatibus, tentationibus humanis posse perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob hoc ergo dicebat, nunquã debere foeminas cum seruis dei, etiam castissimis, in vna manere domo: ne, vt dictum est, aliquod scandalum, aut offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si fortè ab aliquibus foeminis, vt videretur, vel salutareretur, rogabatur: nunquam sine clericis testibus, ad eum intrabat, vel solus cum solis vnquã est locutus: nec si secretorũ aliquid interesset. Ad quẽ tam notabilẽ locũ cum in hagiologio suo cõscribẽdo peruenisset vir pientissimus, idemq; doctissimus, Aloysius, episcopus Veronẽsis; tale scholium, temperare calamo nõ potuit, quin de suo adscriberet in margine:

Notent

Notent hoc nostri temporis heretici, qui à muliercularum conuictu, & conuersatione nolunt auelli: hique in primis, qui apud nos catholici sunt, & sacerdotes, ac concionatores agunt. Ea siquidē, vt Gregorius magnus aiebat, tam docti viri cautela, nostra omnium debet esse instructio. Etenim vt de custodia virginitatis ad Eustochium b. scribebat Hieronymus, nullus ne in domo quidem tutus est aspectus. Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar sororis, Ammon frater exarsit incendium. Quamobrem excellēs magister, Hugo Victorinus, alter ille suo saeculo Augustinus, hanc nobis ad causam illud de naturæ mysterijs eleganter & doctè annotatum reliquit; esse quosdam lapides igniferos, qui dicuntur masculus & foemina. In istis, ait, lapidibus, quando ab inuicem separantur, ignis non accenditur: cum autem ad inuicem casu aliquo appropinquauerint, statim in eis tantus accenditur ignis: vt omnia ardeant, quæ circa illos sunt. Vndè & vos homines dei, qui vitam geritis monasticam, aut sacerdotalem, separate vos longè à mulieribus. Quoniam, si illis appropinquat

*Instit.
monast.
de bestijs
& alijs
rebus
l. 2. c. 19.*

quaueritis, statim noxius ignis accenderetur in vobis. Sic ille venerandus pater, sub dura & ascetica viuens disciplina. Et ego interim, nescio quàm delicatus & mollis filius, indomitâ carnis meæ petulantiam, parum castigare solitus, innatumque lumbis meis calorem parum temperare valens aut curans, nihil mihi ab incendio timendum putabo; etiam si familiariter verfer cum fœminis, ac subindè iunctis lateribus, & fœmoribus sedere etiam cum igniferis istis lapidibus ausim ad mensam, fœcundos inter calices, & dapfiles lances? O proiectam vesaniam. Quid enim synodus diœcesana Audomarenfis, celebrata anno 83? Ancillam clerici non accipiant, per quam incontineñtiæ periculum, opinionem, aut suspicionē possint incurrere. Quare non nimis familiariter vtantur ancillis suis, quantumcumq; honestis: nec cum eis ad conuiuia, quantumuis honesta, etiam vocati accedât, aut etiam ad forum, multoq; minus ad tabernas, aut choreas. Nō improbamus decretum. Sed ô duras illas ceruices, & heteroclita capita: quorū propter mores, in sancto sanctę reformationis

nis studio, aliud nihil obtineri potuit, quū tamen longè requirāt aliud, partim quę dicta sunt, partim quę dicenda adhuc restant. Videas clamat d. Hieron. nonnullos clericos accinctis renibus, & pulla tunica, à mulieribus non posse discedere: sub eodem manere tecto, simul inire cōuiuia, ancillas iuuenes habere in ministerio: & præter vocabulū nuptiarū, omnia esse matrimonij. At verò tuum Nepotiāne hospitium, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde habitare cum deo, qui foeminarum accessibus frequentatur. Ac foemina conscientiam secum inhabitantis semper exurit. Omnes igitur puellas ac virgines Christi, aut æqualiter ignora; aut dilige æqualiter. Nec sub eodem tecto cū illis mansites: nec in præterita castitate confidas. Neque enim Dauide sanctior esse potes, nec Salomone sapientior, nec Sāpstone fortior. Memento semper quòd paradisi colonū, de possessione sua, mulier eiecerit. Caueto omnes suspiciones; & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè deuita. Sanctum consiliū, & autore suo dignissimum. Bona siquidē

vita

Ad Ru.
si mo
nachum.

Ad Nepo-
tiani &
dist. 32.
ca. hospi-
tium.
Sic legit.
D Car-
thuf.

Anton.
par. 3. tit.
2. ca. 2.
§ 8. de
custodia
virginū.

Chrysoft.
de subiu-
tre.

vita nobis est necessaria propter nos: bona fama etiam propter alios. Et sicuti qui vitam agit peruersam, nunquam saluabitur: ita neque ille qui seipsum ignominia aspergit, poenam effugiet. Ecce enim vir erat castissimus, & quidem grauissimo s. Martini testimonio sanctus Brixius, primus in Turonensi episcopatu s. Martini successor. Nec foeminam ille secum vllam vnquam commorari permittebat. Tantum lotricem quandam habebat, eamque habitus etiam specie religiosam: ad quam cubicularij ministri vestimenta eius, quando sic opus esset, lauanda deferebant. Hec quia interdum (vt arbitrari licet) incautius ad s. Brixij commeare edes permissa fuerat: audi quid trigesimo tandem ordinationis anno acciderit. Cocepit & peperit lotrix illa, specie tenus religiosa: ac omnis confestim populus Turonensis falso quidem, sed tamen instantissime flagitij istius crimen impegit episcopo. Nec potuit se ille, a culpa quamuis immunis, a tam nefandi sceleris apud oues pastor liberare suspitione & crimine: etiamsi infans triginta, nec amplius, natus dies interrogatus a s. Brixio, num ipse eum genuisset,

ac

ac per Iesum Christū idem adiuratus, ac iussus dicere veritatē, miraculosè loqueretur, & de s. Brixio palā responderet: Tu non es pater meus. Non potuit se tanti flagitij suspicione, & crimine pastor innocens apud suas liberare oues: etiamsi ardentibus insuper prunas, sine vlla vestimēti sui adustione, ad sepulchrum vsquē s. Martini, alterū per miraculum, deportare ab omnibus cōspiceretur, iuxta oraculum prouerb. 6. Iamne vides igitur nō dico ex doctrina, sed ex ipsa etiam vita patrum, quā grauiter scandalizet populum, non iam dico cohabitatio foeminarum cum clericis, sed sola etiam illarū ad hos commeatio? Iamne clarè perspicias, quā illud prudenter & sanctè, sanctum Hieronymum suo dudum audiebamus suggerere Nepotiano? Hospitiolum tuū aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Et quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè deuita. Sanè cunctis huiuscemodi falsis quidem, sed valdè tamen scandalosis, & noxijs pusillorū criminationibus, vt lōgo ex interuallo obuiam iretur, b. pater Arsenius, aulicus ille quondam duorum imperatorum pæda-
go-

dagogus, & postea propter Christum rusticus anachoretas, deindeque vir adeo sanctus & perfectus, ut ipsum, hominem quamvis terrestrem, caelestibus tamen equare angelis non dubitaret autor grauis, b. Ioan. Climacus, aut si ita mauius Climax, in tantum omne semper vitare studebat foeminarum commercium: ut quando ad ipsum, eremiticam iam agentem vitam, ad Nilum, ex Italia usque praenobilis quaedam matrona semel visendi studio, & pietatis ergo profecta esset, optatam nullo ei modo videndi sui copiam facere sustineret. Nepe longos post itineris labores periculaque, ubi praesens illa tandem matrona iam praesenti adstaret Arsenio, praesentem surrectis intueri oculis virum ausa non fuit. Adeo eam eremita pudicissimus, propter muliebrem facti insolentiam, sermone suo, velut fulmine quodam, primo statim in accessu perculerat. Cumque illa sermonis fulmine humi iaceret prostrata, istaque ex humilitate sua adstantem obtestaretur Arsenium, sui ut saltem abeuntis, atque longe getium absentis postea, in orationibus quandoque meminisse non recusaret: hic iam vir dei praecedenti sermonis ful-

Gradu.
27.

fulmini, audiamus quale ilicò, eãdem in
foeminam, quamuis supplicẽ, submittere
properauerit tonitru: Imò verò aiebat, il-
lud potius mulier precabor deũ optimũ
maximum, ne in posterum de te mihi vn-
quã ille cogitare aliquid in mentem ve-
nire permittat, simũlque omnem mihi
huius etiam nunc tuã præsentia, ex ani-
mo meo, penitus abolere dignetur me-
moriã. Qua ex oratione cùm præter-
sumum animi dolorem, grauem quo-
que corporis mulier concepisset febrim:
mox domum, vndè venerat, longo iterũ
itinere, multumque periculoso, redire
cõpulsã fuit. Quid ita? Metuebat vir ca-
stissimus, & castẽ tamẽ custos durissimus,
ait Metaphrastes, ne si vnus semel huius
matronẽ blandiusculè indulgisset voto,
mare postea mulieribus impleri incipe-
ret, quã consimili ex desiderio, vndique
ad ipsum nauigare tentarẽt. Id autem ne
fieret, factumque variã generaret scan-
dalarũ materiã, primis statim initijs vir
prudens, obstandum esse censuit. Fecit
quòd faciendum esse docuit b. August.
Cum foemina ista, prima visitatrice sua,
sermonem habere noluit, nisi breuem &
du-

durum. Nec ignorabat vir scientissimus, in mirabilibus atque profundis satanae astutijs, hanc quoque alicubi obscuram latitare charybdim, ut sub pretextu piarum etiam orationum, quorundam ille animas in aeternum trahere moliat exitium. Qua de re sic b. Ioannes Climacus cap. 15. Vidi quosdam, qui dum ex animo pro mulieribus quibusdam, caris illis atque dilectis, & agapetis suis, orare gauderent, ex huiusmodi memoria in nequitiae praecipitati fuerint concupiscentiam: & dum supplantati per satanam, nequiter iam agerent, officium nihilominus se putarent implere caritatis. Obserua igitur cautius, ut non temere ac indifferetur, pro foemina in oratione tua deum preceris: ne temetipsum a dextris fortasse praedator inuadat. Ipseque antea d. ille Martinus, cuius dudum mentionem faciebamus, adeo sollicitè cauere semper consueuerat, ne vlla sibi vnquam foemina propius assisteret, nedum cohabitaret: ut quando imperatoris precibus adactus, semel in secreto quopiam aulae triclinio sic cibum capere sustinuisset, ut solo in conclauis, soli manducati sola, honoris causa, ministra-

*Idem
gradu.
28.*

G ret

ret regina, id tunc in pudicissimis sancti
antistitis moribus monstri simile cūctis,
qui eum nouerant, visum fuerit: quāuis
istud cū fieret, annum tūc ageret Mar-
tinus octogesium. Sulpit. dialogo 2.

*In epist.
ad Innoc.
pont.
Rom.*

*Meta-
phras. Et
sur. in
vitacius.*

Ioannis Chrysof. asperrimas hīc quid
attinet commemorare inuectiuas: quan-
do constat vigilantissimum illum pasto-
rem, & castitatis propriæ custodem præri-
gidum, mox vt ad Constantinopolitanā
cathedram esset promotus, à contagiosa
ista, quam nunc persequimur, clericorū
cum fœminis cohabitatione, ecclesiæ suæ
auspicatum fuisse reformationem? Certè
tanta in eā cum vehemētia dicere ipsum
subindè solitum fuisse accepimus: vt pu-
blicè perorare non vereretur, grauius &
quidem longè grauius peccare eos, qui
illiusmodi contubernijs vterētur, quā
qui palām & apertè flagitiosam ducerent
vitam. Cumque aliquando idem reuerē-
dissimus iste pater pro concione, quasi in
tabula, ouibus suis rationalibus formam
quandam penicillo aureæ suæ linguæ de-
pingere studeret, quomodo fraterna sit
facienda correptio, si quis eam vtiliter
instituire velit; tali formæ orationis ma-
teriam

*Hom. pe-
nult. in 1.
epist. ad
Corinth.*

teriã sibi defumebat ex peruersã masculi
cum foemina cohabitatione. Audiamus
igitur Gregor. Nazianzenum, qui per an-
tonomassã theologus nominari meruit.
Cùm enim pater ille sanctissimus suo tũc
sẽculo animaduerneret, quomodo sub
fallaci caritatis prætextu, etiam monachi
quidam sub idem sibi tectum foeminas
adiungere inciperent, itemque consecra-
te deo virgines, sub eodem falsẽ caritatis
velamine, sibi adhibere auderẽt viros : sic
in vtrofque carmine ludebat, quẽadmo-
dũ nos hĩc prosã referemus oratione. O <sup>In cap.
min.</sup>
virgo, esto virgo & auribus, & oculis, &
lingua; quãdo membra ista omnia pecca-
torũ sint obnoxia incurfui. Virũ omnẽ
fugito, sed illũ maximẽ, qui sub prætextu
tibi caritatis eadẽ cohabitare vellet in do-
mo : etiam si auro existeret purior, & ada-
mãte solidior. Geminũ quippe subest pe-
riculũ. Et si tu de tua tibi carne benẽ cõ-
fidas : ecquis certò pro domesticis tibi
tuis spõdebit membris, ne dum tibi mēs
oculusque tuus purus adest, & imma-
culatus, alterius cor immunditiam ali-
quam occulat, spiritumque infectetur?
Nonne Christum tibi delegisti pro caro

G ij tuo

tuo atq; dilecto: Quorsum igitur attinet, mortis vt pharmacū intus foueas in domo tua? Vos item monachi monachicā ducite vitam ac solitariā. Quòd si verò mulieribus, quas caras vocant & agape- tas, conuiuere sustineatis; iam non estis monachi: quandoquidem socialis ista dualitas cum vita non consistat monachica. Vnitas instar est angelicæ gloriæ. Sed si istas caras admiseritis, cohabitatri- ces mulierculas, iam mortalis estis a- mici dualitatis. Ignis propinquus arundi- ni, res est minimè tutā: consimilemque in modum periculosum est, monachum foeminam sibi aliquam habere cōtuber- nalem. Virū à foemina principio disiūxit spes melior, nempè cælestis rerum cæle- stium. Natura nihilominus morbum ad- huc intus tenet occultum. Si longè absi- stas: scintilla manet scintilla. Si autem te associaueris; ex paruo aliquo spiritu, ma- gnum excitabis incendium. Atque inter album quidem & nigrum, medius inue- nitur color fuscus: at verò inter mortem & vitam, nihil est medium. Cæterum su- spectos istos cohabitatores simul & co- habitatrices (quos nota quidem & noua,

sed ignominiosa omnes vocant nomenclatione *συνεισάκτους*) nescio equidem vtrum inter cōiuges, an inter cœlibes collocare debeamus: an verò nouū aliquod, & medium reputare hominum genus. Ad me quod attinet, quantumuis mihi maledicatis, rem nullo modo probare possum. Sic ille. Basilius magnus, quem Gregor. iste Nazianz. Mosi & Abrahæ comparare non dubitauit, Gregorio cuidam presbytero suo quamuis septuagenario, vel octogenario, ne illam quidem mulierem cohabitare patiebatur, quam olim, antequam esset sacerdos, duxerat vxorem. Ministrent aiebat, tibi viri: ne nomen domini per vos blasphemetur. Cœlibū hæc est gloria & splendor, mulierum conuictu carere. Nam ad cōmoditates illas quod attinet, quas ex foeminarum cohabitatione, se clerici nonnulli percipere allegant, quasi hæc eis muliebrium suorum contuberniorū præcipua foret causa: audi quomodo s. Cyprianus illiusmodi excusationes, diabolicas esse pronunciet suggestiones, in hæc verba: Artificialia sunt semper diaboli veneficia, quibus ingeniū suæ calliditatis

*De sing.
clericor.*

G iij

exer-

exercens, sanctimoniam deditos, dolosis commoditatibus iuuat ad tempus, ut postea damnet in æternum. Quare quicquid tandem hinc inde, quantumcunque speciosè allegetur, omnibus accuratissimè expensis, discussis, & pertractatis causificationibus, intrepidè ad postremum sanctus pronunciat Chrysostomus, se aliam horum contuberniorum nullam posse veram videre causam, quàm quæ nescio qua, aut quali delitefeat in voluptate minimè laudanda; quamuis ea alia moueat alios. Multus nobis est in hac materia pontifex maxim. Gregor. magnus, magnus inquam, doctrina pariter & sanctitate. Ac nominatim ad Ianuarium scribens, episcopum Caralitanum, archidiaconum, inquit, tuum cum mulieribus, ut audio, habitare prohibuisti: & nunc vsq; in ea prohibitione despiceris. Qui nisi iussioni tuæ paruerit, eum à sacro ordine volumus esse priuatum. Et alibi. Silere non debeo, quod cum graui animi tristitia & amaritudine dico. Sacerdotes cum foeminis habitare conspicio: quod nefarium est dicere, vel audire. Idem quan-

*li. 3. epist.
26. Dist.
§ 1. c. Archidiacon.*

*Gratian.
ve sup. c.
Silere.*

quando alibi narraturus esset, quàm ferè, *Dialog.*
quàm grauius sanctus quidam lapsus *l. 3. c. 7.*
fuiſſet episcopus, per sanctam quan-
dam cohabitantem ei sanctimoniam,
tentatus ad hoc à spiritu immundo: hanc
sua narrationi generalem præmittebat
admonitionem: Qui corpus suum con-
tinentiæ dedicant, nunquam cum mu-
lieribus habitare præsumant. Scilicet
quamdiu calor viuit in corpore, nemo
arbitrari debet, ignem concupiscentiæ
in se penitus esse extinctum. Præterea
Clemens Romanus & Lucius, summi
& ipsi pontifices, ac martyres Christi:
Clericus solus ad fœminæ tabernacu-
lum non accedat, sine presbyteri iussio-
ne. Et solus presbyter cum sola fœmi-
na fabulas non misceat. Et si quid a-
gnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à
liminibus ecclesiæ arceatur. Ecce sic il-
li sancti dei martyres de solo accessu ad
domum, deque sola aliqua confabula-
tione. Quid ergo de promiscua ista,
quam nos nunc, nostra hac tempeſta-
te, nusquam non inualuisse apud nos,
quasi que tyrannidem quandam passim
obtinere conspiciamus, clericorum &

G iij

presby-

presbyterorum, & ipsorum etiam episcoporum, quibuslibet cum foeminis, domestica cohabitatione? O tempora, o mores, o collapsam, fuditusq; collapsam, hac quidem parte, ecclesiae faciem: o contemptam prorsusq; contritam omnem ecclesiae disciplinam. Certè Gregorius ille, re & nomine verè magnus, istud cohabitandi genus (vt iam nunc audiebamus) incunctanter pronunciat dictu simul & auditu esse nefarium. Postremò papa Nicolaus secundus adeò idem postea arbitratus fuit esse execrabile: vt talium sacerdotum missas non aliter, quàm aliorum quos manifestè constaret esse concubenarios, à populo vitandas esse pontificiam suam per auctoritatem decerneret. Decretum sic habet. Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Etsi enim diuersis tēporibus, à diuersis hominibus, multum est disputatum, quānam pro subintroductis mulieribus, quas Græci *συνησάκτρως καὶ ἐπιεισάκτρως* appellāt, habendę sint: nec defuerunt, qui illam dumtaxat interpretarentur intelligi debere subintroductam, aut

*Dist. 32.
c. nullus
& tom. 3
conc. a-
pud Sur.*

aut *συνεῖσακλον*, quæ per speciem legitima introducta foret vxoris, & interim fornicariè viueret cū introductore suo: illorum tamen semper probata magis fuit sententia (ait Theodorus Balsamon scriptor Græcus) qui censuerunt, omnem absolutè mulierē, subintroductæ nomine intelligēdā venire, quæ cū aliquo habitet externo: etiamsi ab omni sit immunis suspicione. Sic quippe apud Græcos olim indubitanter iudicārūt duō incorruptissimi viri, Gregor. Nazianz. & Ioānes Chrysof. Sic totius postea ecclesiæ Christi caput & iudex, papa Nicolaus, quando in allegato nunc decreto, subintroductam mulierem manifestè distinxit contra concubinam. Concludamus igitur locum hunc autoritate pontificalis Romani. Sermo enim, quem iuxta illum librum, episcopi, patres nostri in Christo colendissimi, ad ordinandos habere debent, post generalem allocutionem, hanc primo statim loco admonitionem cōtinet specialem: Fratres, in domibus vestris mulieres non cōhabitēt. Ecce primo ilicō in admonitionum vestibulo istā nobis, o sacerdotes dei altissimi, propositā

In 3. can.
1. concil.
Niceni.

Pontifi-
cale Ro-
mani.

pro-

prohibitionem. Nec mirum. Re namque vera valdè illud absurdum, & in primis præposterum, in clericorum occurrit malè moratis moribus, quod cum in diuinis peragendis officijs, hanc quotidie, qui iam ordinati sunt, deo optim. max. hora sexta effundere debeant orationem: Rector potens, verax deus, qui temperas rerū vices, aufer calorem noxium, idque eam ob causam, vt in castitate semel deuota, sine lapsu perseverare semper queant, non ipsi prius precatores, noxij istius, quem deprecatur calor, procul à se dimoueant incentiuū. Valdè absurdum, ne dicam ridiculum, quod cū eadem de causa iterum sub noctem, hanc nullo non die soleant in cælum & debeant eiaculari precem: Te lucis ante terminum, rerum creator poscimus, Hoste nostrum comprime, ne polluantur corpora; non ipsi prius, quod suarum erat partium, hosti illi de manibus sua extendere properent arma. Incentiuum quippe noxij caloris singulare, & diaboli, seu propriæ quoque carnis aduersus spiritum, contraque deuotam castitatem, arma quedam sunt longè grauissima, co-
habiti-

habitantes clericis fœminæ. Hinc siquidē cupidini sua succreſcit vis, hinc domi venercus concipitur ignis, hinc alitur, fouetur, & augetur: vnde poſtea non domi ſolum, verum etiā foris ardeant frequenter, & pereāt miſeri. Valdē inquam iſtud peruerſum eſt, valde que ridiculū, vel potius valdē lachrimandum. Ecce enim quando homines laici & coniugati, carnis tandē tribulationes, quas eis prædixit apoſtolus, pertēſi, ad melioris ſeſe vitæ volunt conuertere frugem, perpetuamq; deinceps, mutuo de conſenſu, cogitant vouere cōtinentiam: tunc vt quod religioſe meditantur, religioſe quoque poſſint præſtare, diuortium facere conſueuerunt, ac diuerſa ſibi deligere domicilia. Nec id tamen vt faciant, iure eis conceditur, niſi minimū alter monaſteriū aliquod ingrediatur. Quid ergo ſibi vult: quid ſibi vult obſecro, quod noſtri poſtea clerici, qui fœminis coniugati non ſunt, tunc ſibi ilicō geſtiāt associare fœminas, quando iam per ſacram ſacrorū ordinū initiaturam, ad perennem ſeſe obligarūt caſtitem, talemq; propter obligationē, omnem in poſterum, exēplo s. Nicolai, enixius

*Cyprian.
de ſing.
clericorū.*

1 Cor. 7.

*De con-
uerſ. con-
iugat.*

enixiùs declinare, & verò fugere deberēt
 fœminarum omnium societatem? Mihi
 quidem certè ita dum agunt, haud tunc
 aliter factitare vidētur, quā si quod quo-
 tidie, manè quidem de auferendo calore
 noxio, vesperi verò de hoste comprimē-
 do, ne polluantur corpora, deum precā-
 tur, ad speciem illud dumtaxat precari
 folerēt: nec sibi suisque focarijs, sed alijs
 solùm hominibus, tales preces vti-
 les esse censerent, aut necessarias: nec in
 sua, sed tātum in ecclesię persona, eas re-
 citandas sibi esse putarent. Aut quod ma-
 gnā saperet irreligionem: sic mihi sese ge-
 rere vidētur, quasi si quicquid illiusmo-
 di est ecclesiasticarū precū, id vniuersum
 nūquā formaliter recitare cōsueissent, sed
 semper technicè solùm pronunciarent
 aut materialiter: hoc est, sine vllō omni-
 no pietatis sensu, & sine vlla deuota attē-
 tionē, aut intellectu. Cras, quoniā dies
 erit dominicus, hīc non conuiuabimur.
 Sed feria deinde subsequēte secūda, quos
 redire non tæduerit, non dissimilis, à no-
 bis quidem, ethica vt illis istum tunc in
 diem apparetur collecta, curabitur, sic il-
 la suis etiam comitata bellarijs, vt non
 auxilijs

pau-

paulo quã que hucusq; gustarunt, qui talibus delectantur, sint futura sapidiora.

S E R M O QVINTVS.

PEruenimus tãdem, viri clarissimi, ad actionis nostrã locũ postremũ. Quare, vt fidem libereamus, de familiari ista clericorũ cum fœminis conuersatione, quã, an eis licita sit necne, semel & iterum, iterũq; examinauimus, iam ecclesiastici quid referant canones, audiamus: idque ea cũ attentione & reuerẽtia, qualem talis iure suo oratio postulat. Canones nãq; nemo ambigit quin sic appellentur, quod ad talium regularum normam, vitam nostrã, vitãque mores, clerici qui sumus, apte conformare debeamus, peccaturi si præuaricemur. Et quidem in concilio illo Antiocheno, quod, vt refert Euseb. Cæsariensis, veluti per miriadem quandam episcoporum, & sacerdotum celebratum fuit, anno domini 274. canonem hac de re nullum prolatum fuisse lego. Attamẽ grauissimẽ ibi ab innumeris illis accusatur patribus Paulus Samozatẽsis, episcopus

lib. 7. cap. 17
3. græc.

pus Antiochenus, tanquā qui cōtra cano-
 nes veniret ecclesiasticos, quòd cōtuber-
 nales aleret foeminas, idemq; vt sui factita-
 rēt quoq; presbyteri, impunè permitteret.
 Hancq; vt ibidē legitur apud Euseb. accu-
 sationē suā orthodoxi illi patres, vnā cū a-
 lijs hominis hēretici peccatis & depositio-
 ne eius, synodicā per epistolā ad Romanū
 trāsmiserunt episcopū, Dionysiū. Cāterū
 in concilio Carthaginēsi primo hāc diser-
 tis postea verbis canonicā rogauit legē, &
 rogatā obtinuit Gratus episcopus: Nullus
 sanctimonię & virginitati deseruiēs, pro-
 pter blasphemīā ecclesię, si placet, in vna
 domo cum extraneis mulieribus habitare
 debeat. In cōcilio deinde Carthaginēsi 4.
 cui d. Aug. interfuit, sic legimus can. 46.
 Clericus cū extraneis mulieribus nō habi-
 tet. Postremò conciliū Agathēse sic sanxit
 can. 10. Ad custodiēdā vitā & famā, specia-
 li ordinatione præcipimus, vt nullus cleri-
 corū extraneę mulieri, qualibet collatio-
 ne, aut familiaritate iūgatur: & nō solū in
 domo illius extranea mulier nō accedat,
 sed nec ipse frequētandi extraneā mulierē
 habeat potestatē. Hęc, & quę similis gene-
 ris huc allegari possent nonnulla alia, si tu

Tom. 1.
 concil.

quis

quisquis es, nō nisi prouincialia subsumas
esse cōcilia, ideoq; corū te sanctionib; nō
multū teneri: reticebo equidē in pręfētia.
rū, prouincialibus id genus sanctionibus,
per ius postea pōtificiū, autoritatē accessis-
se vniuersalē; vt liquet dist. 81. c. Cū omni-
bus. Sed audi quid eadē dist. Gratianus, re-
ille & nomine verē gratianus, ex concilio
quodā referat huc nobis generali. In om-
nibus obseruare cōuenit, vt certus quis, &
certo tēpore, & certo loco, & certis perso-
nis, vel apparere clericus, vel loqui debeat
mulieribus: vt excludatur omnis nefanda
suspicio. Certē solū ad solā accedere nulla
religionis ratio permittit. Sic cōcilium il-
lud generale. Quomodo igitur, mi frater,
religionis permittet ratio licētiosam istā,
quam nunc vbique frequentari videre est,
domesticam cū mulieribus familiaritatē,
prorsusq; familiarē cohabitationē? In ge-
nerali porrò synodo 2. Nicena talis eadē
de re extat canon num. 18: Sine offensio-
ne esse pręcipit diuinus Apostolus etiā ijs,
qui foris sunt. Mulieres autem in episco-
patibus, vel monasterijs versari, est omnis
offensionis causa. Si quis ergo ancil-
lam, vel liberā, in episcopatu possidere
deprehensus fuerit, vel in monasterio, ad

Synod. 7.

mini.

ministerium aliquod obetendum, puniatur. Sin autem perseueret, deponatur. Et multo antè synodus Nicena prima hunc nobis constituerat canonem tertium: Omnibus modis interdiciamus, neq; episcopo, neque presbytero, neq; diacono, neque vlli omnino, qui in clero est, licere extraneam secum habere mulierē. Ecce, sic non prouincialia modò, sed & generalia concilia, in spiritu illa sancto cōgregata, quorumque propterea omnium cōtibus illud indubitanter de actibus accommodare licet apostolorū: Visum est spiritui sancto, & nobis. Quid igitur aliud est, quàm (vt pius Samuel impio dicebat Sauli) quasi peccatum ariolandi, talibus decretis repugnare, & quasi scelus idololatriæ, non acquiescere? Nam ne mulierosus quispiam, nimiumque philogynos mulsitare hie possit sacerdos, vel monachus, istiusmodi canones iam olim per contrariam cōsuetudinem abiisse in desuetudinem, vimque propterea nullam nunc amplius obtinere ligandi: recogitandum est, ex ipsis eos à sanctis patribus, vt secundo loco indicauimus, deriuatos esse fontibus naturæ. Cuius leges, nullam per-

1. Reg.
15.

DE ORATIONE IN EXPOSITIO S. AUGUSTINI
-mim con-

cōtrariam consuetudinem, vnquam ab-
 oleri possunt. Recogitandum præterea,
 quēmadmodum tali musitatori seuerè
 occurrat sancta synodus Tridētina, om-
 niq̄ue iniquitati semel oppilet os; quādo
 nouissimis hisce nostris nunc rēporibus,
 in generali totius orbis Christiani conuē-
 tu, tale edidit decretū: Vt ad eam, quam
 decet, cōtinentiam ac vitæ integritatem
 ministri ecclesiæ reuocētur, populúsque
 hinc eos discat magis reuereri, quo illos
 vita honestiores cognouerit: prohibet
 s. synodus quibuscunq̄ clericis, ne cō-
 cubinas, aut alias mulieres, de quibus
 possit haberi suspicio, in domo vel extra
 detinere, aut cum eis vllam consuetudi-
 nem habere audeant: alioqui pœnis à sa-
 cris canonibus, vel statutis ecclesiarum
 impositis, puniantur. Et alibi: Statuimus,
 vt quæ aliàs à summis pontificibus & sa-
 cris cōcilijs, de clericorum vita & hone-
 state, copiosè ac salūbriter sancita fuerūt,
 eadem in posterū, iisdem pœnis, vel ma-
 ioribus etiam, arbitrio ordinarij impo-
 nendis, obseruentur. Ecce hoc tale con-
 cilium cum deuota est vbique, hac nostra
 nunc ætate, receptum obedientia: sicuti

*Sess. 25.
c. 14. de
refor.*

*Sess. 22.
c. 1. de
refor.*

H com-

communis ille omnium catholicorū pa-
 ter, pontifex Romanus recipi voluit.
 Quis igitur nos postea, filios eius, ab
 omni obediētiā absoluit religione: nihil
 vt presbyter ancillariolus timere necesse
 habeat, ne fortē, etiam si hīc pōnā omnē
 euadat humanam, in illa tamen die vt
 inobediens condemnetur à domino, & à
 cacodæmonibus in tēpus puniatur aeter-
 num? Nam quod iam nunc generale ci-
 tabamus concilium Nicenum secundū,
 ad depositionem vsque inobedientibus
 pōenam prorogauit. Ac, ne multa repe-
 tamus, Gregor. quidem, summus eo no-
 mine pontifex primus, dictu iuxta & au-
 ditu nefarium esse pronunciauit, quod
 sacerdotes fœminis cohabitare auderēt.
 simūlque archidiaconum quendam, nisi
 factum ilicō mutaret, mandauit deponi.
 Nicolaus verò, secundus eo nomine pō-
 tifex max. talium sacerdotum non secus,
 quā illorū, quos indubitanter constaret
 esse cōcubinarios, missas ne quis audiret,
 sancta cum seueritate interdictū esse vo-
 luit. Quod si iam dicas licere per generale
 concilium Nicenum primum, vt clericis
 cohabitent mater, soror, amita, vel auia,
 aut

aut etiam mulier quæpiam alia, dummodo sit annosa anus, aut vetula, iuxta textum Arabicum, & huic concilio consonare decretum Tridentinum: tali dicto tale non incommodè opponi posse videtur responsum: hætenus id licere, quatenus propter duritiam cordis, aut imbecillitatem ac imperfectionem, in clericorum moribus à prælatis ecclesiæ permittitur, nec à iure punitur humano: quando notissimum sit, non omnia, quæ in ecclesia displicent, seuerè ab eius prohiberi semper prælatis. Nā & ab ipso olim deo (vt hîc magna nobis liceat componere paruis) propter duritiam cordis humani nonne permissus fuerat Iudæis libellus repudij? Neque tamen culpa vacabāt, quæ tali fretæ libello mulieres, prioribus, à quibus dimissæ fuerant, viuentibus adhuc maritis, alijs cum viris coniugia non verebantur inire noua. Quinimò tale facinus quæcūque audebant, verè erāt adulteræ: vt patet in scriptura s. & quidem illo ipso etiam loco, vbi libellus repudij concessus fuit. Verū quoniā tales tunc adulteræ, communi aliarum adulterarum more, ad lapidationis nunquam

*Jerem. 3.
Deut. 24*

H ij

rapi-

rapiebantur supplicium; hinc fiebat, ut propter flagitij impunitatem, nullam vulgus Iudæorum, tali in vsu libelli repudij, arbitraretur esse flagitij culpam. Vndè quando multo ante cōcilium Nîcenum istam cum foeminis cognatis, seu consanguineis cohabitationem clericis permitteret d. Clemens, tertius b. Petri in pōtificatu summo successor; Fiat hoc, inquiebat, sed nō nisi magna cum sollicitudine. Non enim ignoramus malitias satanæ. Quas quidem malitias quādo, remissa sollicitudine, postea satanas apud sacros quoq; homines, exercere aggressus esset: tunc patres Moguntini, tempore imperatoris Arnulphi, talem quoque cum consanguineis foeminis cohabitationē, verbis expressissimis, cunctis clericis inhibuerunt, concilij sui canone 10. Ut clericis, aiunt, interdicatur in domo sua habere mulieres, omnimodis decernimus. Et quamuis etiam superiorum temporum sacri canones, quasdam personas foeminarum, simul cum clericis in vna domo, habitare permittant: tamen sæpe audiuius, per illam concessionē plurima scelera esse commissa.

*Clemens
ad Iaco.
fratrem
domini
epist. 2.*

con-

constituit hæc sancta synodus, vt nullus presbyter vllam foeminam secum, in domo propria permittat: quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui, penitus tollatur. Idem eandem ob causam, iisdem penè verbis, aliquanto antè constituerat synodus Foroiulensis, sub Carolo magno, & Pipino. Prudenter sanè. Nam vt omittamus, quod olim dicere solebat August. simulatq; in domicilium sacerdotis, aut mater, aut foemina id genus quæuis alia, ad cohabitandū admissa fuerit, cui istud, tanquam non suspecte, Nicensus canon permittit, mox, propter tales consanguineas, eandem frequentari tunc illam incipi domum, ab alijs item mulierculis, quæ suspitione non carent: nouimus quàm ægrè, quàmque rarò, à vulgo præstetur clericorum, quod eis in generali concilio Lateranèsi, sub Innocentio tertio, præcipit canon 15: nempe vt sibi temperent vinum, & se vino: in quo est luxuria. Nouimus ex s. scriptura, quomodo admirabilis ille Loth, qui sanctè semper, & castè vixerat inter Sodomitas, illis postea obscœnis hominibus, cum ciuitatibus suis, exustis, post vini

H iij cali-

calices, licet non appetitos, à proximè sibi cognatis (horrendum cogitatu) pollutus fuerit filiabus. Quòd si tu fortè violentus non sis, nouimus præterea ex eadē scriptura s. quàm insanè exarserit frater Ammon, in sororem suā Thamar, sola ebrius libidine. Ac vt fabulosum omit-
 tamus Oedipū: nouimus insuper vt alias olim alibi, ita & nouo nūc in orbe infideles quasdam repertas esse gentes, apud quas nullus sit pudor, nullūq; censeatur esse peccatum, si quicūq; viri quibuscūq; cū foeminis promiscuè coeāt, nulla omnino vllius cōsanguinitatis habita ratione, cum matre filius, & frater cum sorore. Nouimus deniq; ipsos etiā apud Christianos, matres interdū, ex suis ipsarū pueris, alteros sibi genuisse pueros; vtq; flagitiū occulerent, partum occidisse. Adeò nulla etiā in cognatione, quantūcūq; illa propinqua, prorsus tuta est libido; quēadmodū pluribus ipsa in scriptura s. expositum videre licet, leuit. 18. Quòd ergo canon iste Mogūtinus & Forouiliēsis admodū decorus, cautus, & circumspectus, lib. 3. decretalium, ad illas dumtaxat, volentibus postea annis, cognatas, foeminalq;

In nouo
 orbe, cap.
 117.
 Clem.
 Alex.
 Strom. 3.

Gerson.
 dominica
 4. aduēt.
 in serm.
 con. luxu-
 riam.

Theodo-
 ret. ibi.
 De coha-
 bit. cleri-
 cor. c.
 119.

ex

extraneas quascunque alias, contractus fuisse legitur, quæ ob succulentiorem ætatis vigorem nonnulla laborare adhuc suspicione videtur, cæterarum cohabitatio permittatur: eò tantummodo valere permissio talis dici posse videtur: vt si quis clericus vetulam matrem, vetulam fororem, aut amitam vetulam, vel anum quâpiam etiam extraneam, sibi in contuberniũ suum assumat: in foro fori contra eũ actio institui nequeat. Alioqui quomodo nec ipsa vetularum cohabitatio extra omne sit periculum, & scandalum, proindeque actio aduersus eam non immeritò timenda sit aliqua in foro poli, videre id licuit, quando in secundi loci tractatione versaremur. Atque hæc quidem ita de permiffa in decretalibus anuũ dixerim cohabitatione cum clericis: si, quod iurisperitorum examini diligentius expendendum relinquimus, c. Inhibendum, per Innocentium postea tertium, sanctiori restrictione emendatum non sit, quando eodẽ mox titulo sic legimus, c. A nobis: Cũ clericis quoq; non permittas mulierculas habitare, nisi fortè de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil

permittit seui criminis suspicari. Ergone tu, respondere hinc eos mihi nunc audire videor, Moguntina inductus sanctione, adeo omnes subintroductas foeminas expelles ex aedibus sacerdotum, ut ne forem quidem, aut matrem ibi relinuas, quamuis subsidio eorum vehementer indigentes fortasse? An tu propter istiusmodi traditiones humanas, negligendum illis putabis mandatum dei? Honora patrem & matrem? Magna scilicet perplexitas. Audite quam suauiter succurrat alter, cuius dudum meminimus, cano concilij Forojuliani numero quartus: Iuxta Niceni venerandi definitionem concilij, nullus patiat subintroductas mulieres secum in domo propria habere, vel priuate cum eis cohabitantes, conuersari. Et quanquam quibusdam inhonesta carentibus suspicione, clementius aliquo modo, inibi legatur indultum: nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus: eo quod experimento didicerimus, illarum velamento, alias licentius ad eos aditum veniendi perditionis causam habuisse. Non autem vetamus quempiam, sed potius adhortamur, pauperibus personis, iure sibi cognatio-

nis

nis coniunctis, benefacere. cum sit omnibus benefaciendum. Sed à clericis segregatę in suis degentes domicilijs foeminae illę perseuerent. Sed habitauit, inquit, ^{3 Reg. 17.} Elias Thesbites apud viduam Sidoniorū. Nunquid tu, homo nouus, melior es aut maior tanto propheta? Non sum ego dignus, tanto vt prophete soluam corrigiam calciamenti eius. Verum ille curru igneo, ferri potuit illesus in celum. Hoc ego non possum: ideoque semper timeo, ne si iisdem in ædibus cum muliere quapiam durare auderem, tali consequenter ex familiaritate, innatus mihi libidinis ignis accenderetur: accensus porro me ambureret, vel totum etiã combureret, & exureret. Nostis illud comici? Accede ad hunc ignem, & calesces plus satis. Sed quid tu quęso, bone vir, ad suspectę tuę cohabitationis defensionem, factum tam dissimile tanti nobis allegas prophetę? Namq; ille quidem apud viduam illam, non tam habitauit, quàm ad vnum dumtaxat triëniū fuit diuersatus, vel potius occulte latitauit, & quidem necessariã tantum cibationis causã, idque tunc temporis, quando fidelium respub. horribiliter esset,

esset, in terra sancta, ubiq; turbata, ipseq;
 vbique gentium capitis ab Achab anqui-
 reretur; nec prius quã diuinũ antecessis-
 set mādaturum. Neq; vouerat ille castitatē,
 vt nos. Sic autem qui sunt, eos tanto gra-
 uius tentamentis suis gaudet semper in-
 festare spiritus immūds Asmodæus, quã
 quibus nubere licet, quanto illorum ex
 perditione maiora se reputat computare
 lucra, & spolia auferre ampliora. Quod
 verò ancillatores nostri presbyteri exem-
 plum præterea allegare non vereantur
 domini nostri Iesu Christi, & apostolorũ
 eius. Illos enim circūducere secũ solitos
 fuisse mulieres, à quibus ministeriũ ipsis
 impenderetur, quando exirent seminare
 semen euangelicæ doctrinæ. Nunquam
 profecto ostendent (quod ipsi tamen fa-
 cere non cessant) Christum dominum,
 aut sanctos eius apostolos, singulos cum
 singulis istis mulieribus, eodem aliquo
 habitasse vnquam sub tecto. Neque verò
 omnia possumus omnes. Quamobrẽ ne
 ex tali exemplo, nostra sibi postea temerẽ
 præscribere auderet infirmitas: noluit ea
 in parte alios apostolos imitari apostolus
 Paulus: multo vt minùs nos eos, tali
 qui-

Lsc. 8.
 1. Cor. 9

quidem in re, & nunc temporis, imitan-
 dos nobis esse cēseremus. Plus ille omni-
 bus laborauerat, ait Cyprianus: & tamen
 ad mulieres circumducendas, collegas
 suos imitari contremuit: ne se ad interitū
 subijceret tentationi carnali. Quid ergo
 inquit? Nunquid non b. Ioseph eod-
 em aliquando, & fortè solus, habitauit
 sub tecto, cum sola etiam Maria matre
 domini, quamuis virginitatem ea suam
 deo per votum consecrasset? Habitauit
 utique: sed ista talium in personarum co-
 habitatione, nulla omnino erat species
 mali: nec quicquam prorsus periculi.
 Nulla mali species: eo quòd Ioseph &
 Maria verè essent coniuges, idque publi-
 cè constaret. Nihil item periculi. Nam
 in matre domini, dei genitrice, nullus
 omnino erat libidinis fomes, perque in-
 credibilè illa suæ sanctitatis, & ineffabilis
 castitatis vim, coniunx in coniuge quoque
 suo Iosepho, omne vt concubendi dispe-
 riret desiderium, cohabitando efficere po-
 terat, & verò effecit: quemadmodum cōtra
 Heluidium scripsit d. Hieronymus, & cōtra
 Iulianum s. August. Estque ita: accepit quidē
 diuinus euangelista Ioānes gloriosam hanc
 vir-

*De sing.
 clem.*

l. 5. c. 9.

virginem, & ipse virgo deuotus, post saluatoris nostri perpeffionem, in sua: sed quid s. Augustinus? Accepit eam, inquit, non in sua prædia, quæ nulla possidebat, sed in officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat. Id quod sine vlla fieri potuit domestica cohabitatione, tali quidem certè, qualem in clericorum nūc nostrorum moribus, nos pro nostra qualicumque virili disputamus, licitane sit an non. Nam quod d. Ioannes Chrysof. in scholijs quibusdam super Ioannem, & post eum scriptores nonnulli Græci alij commentantur euangelistam hunc Ioannem eam accepisse in domum suam, nec iste commentarius ancillariolis presbyteris quicquam ad causam præsentem suffragatur. Nimirum ipsam illam domum, quæ quondam Ioanni fuerat propria, tūc omnibus Christi discipulis intelligunt fuisse communem, sitam in monte Sion. Illa siquidem in domo Christum illi cū apostolis suis vltimum suum volūt māducasse pascha, eoque māducato, pascha instituisse nouum, sacramētum videlicet, & sacrificium corporis & sanguinis sui. Ibi intelligunt, post crucis peractum supplicium,

Aug. super
Ioannem.

Niceph.
l. 2. ca. 3.

plicium, communiter latuisse discipulos, propter metum Iudæorum. Ibi denique, iuxta promissionē Christi, expectasse eos, & in oratione perseverantes, accepisse tandem, festo pentecostes die, spiritum sanctum, per quem virtute induerentur ex alto. Verumenimvero quid, queso, huic superbenedictæ virgini, ancillæ domini, & nostrorum nunc clericorum ancillis focarijs? Gloriosa namq; hæc domina nostra, & regina virginum, quemadmodum sine cōmixtione viri conceperat, & pepererat eū, qui speciosus erat præ filijs hominum, sic & ipsa pulcherrima quidē inter omnes existebat mulieres, sed adeo in omnibus nihilominus ordinatissima semper suis moribus: vt (quod à maioribus nostris accepimus) nunquam excellentissima eius pulchritudo quenquam mortalium, quantumuis etiam libidinosum, ad vllam luxuriæ concupiscentiam, saltem tenuissima aliqua tentatione, cōmouerit. Quod quidem per singularem spiritus s. cooperationem sic in ea factū fuisse credimus & fatemur, ait Thomas Cantipratanus. Quomodo enim aliter fieri potuerit, non videmus. Quid autem hæc

*De bona
vniuersi-
sali li. 2.
cap. 35.
par. 5.*

hæc ad foemina nostrorum nunc clericorum contubernia? Quid, inquam, pudicissimæ huic virgini, & impudentibus ancilliariorum nostrorum nunc presbyterorum culinarijs, focarijs, portarijs, scoparijs, & cubicularijs barthis? Nam Marthas hîc appellare quis aufit? Etenim ad pusillorum quod attinet scandalum: he quidem haud aliter in clericorû versantur ædibus, haud aliter gerût clauës, haud aliter egrediuntur & ingrediuntur, haud aliter pulsantibus fores occurrunt, aperiant, & claudunt, salutant, ducunt, reducunt, & educunt: quàm si quibus cohabitant clericis, eorum cõiugatæ essent mulieres: nullûmque propterea ex cohabitatione scandalû accipi deberet, aut posset: etiamsi vt presbyteri in lumbis, sic ipse in vmbilico suo, inextinctum secum gestent semper ignem libidinis. At verò de pudicissima illa virgine Maria scribit b. Anselmus, scandali vitandi causa, diuinitus fuisse procuratum, quòd quando magi ab oriente in Iudæam venerunt, vt ibi natum adorarent regem Iudæorum, Ioseph illo tunc attemperatè temporis articulo, à coniuge sua Maria abesset, quan-

In c. 2.
Math.

quãdo illi cum muneribus suis domum,
in qua erat puer, ingrederentur. Nam
quia credere oportebat regem illum Iu-
deorum natum esse de matre virgine, id-
circo ne tali in persuasione, homines ad-
huc in fide neophyti, ad primum statim
conuersionis sue impingerent limen, su-
spiciosè ac dubitanter hæsitantes, quo-
modo & cur tandem incolumi virginita-
te peperisse, & virgo semper intacta per-
mansisse credi deberet, apud quam ipsi,
eodem sub tecto, virum se deprehendisse,
subindè cum animis suis recogitarent
postea: omnem istiusmodi offensionis
lapidem, domum quando subirent, diui-
na eis bonitas de medio remotum cu-
rauerat. Intranses quippe domum, ait
Matthæus, inuenerunt puerum cum Maria
matre eius: de Ioseph nihil. Et tamen, vt
dudum audiebamus, his in castissimis
coniugibus omnis iam pridem mutæ
libidinis fomes prorsus extinctus erat.
Faxit igitur Iesus Christus, deus ille opti-
mus max. vt quando ad Mariam quoq;
matrem & ancillam domini, virginis vir-
ginè, appellare ancillatores presbyteros
non pudet, quoniam in medio infirmo-
rum

113 SERMO QVINTVS.

rum vbique habitant, sua & ipsi circūdati
infirmirate non parua, nullus vnquam
infirmus vllam in eorum domo conspi-
ciat foeminam: sicuti magorum infirmi-
tas, scandali vitādi causa, nullum in istius
virginis matris diuersorio virum
inuenit, quando illud cum
muneribus suis, stella duce,
isti ingressi fuerunt.

Amen.



NENIA

AVTORIS IN SPEM
SANCTÆ ET NECESSARIÆ
REFORMATIONIS RE-
DEPLORATAM.



Ondidit & condit varias ecclesia leges;
Lux mandi melior clerus ut esse velit.
Accumulatq; libros sacrorum turba virorum
Innumeros: sed quis fructus, & utilitas?

O dolor: ad praxin simulatque venit ut & usum,
Postulat esse canon tunc sibi quisque suus.

Iustarum hinc tandem legum ratione subacta,
Possidet imperium velle cuique suum.

Praurumq; adeo durantur roboramorum;
Nulla ut eos iuris pellere furca queat.

Spiritus alme deus, tu corda rebellis, dulci
Sub freno Christi, numine flecte tuo.

Tum mater canones quos sancta ecclesia tradit,
Tu fac ut ostendant robur ubique suum.

Fac quoque de nostris passim quae moribus extant,
Sanctorum placeant dogmata sancta patrum.

Fac surgant Iephthae, surgantq; noui Gedeones,
Surgant Sampsones, flammae turma virum.

Surgant & Phinees: quorum cataphracta, scelestos
In contemptores, mox ruat arma manus.

Hac tibi sancte deus puro si corde litamus,
Quaeso sacerdotis suscipe vota tui.

Μένεινθεος.

Ισχυρόν ὁ νόμος ἐστίν, ἢν ἀρχόντ' ἐχῆ.

Ἦδη μοι πολυαῖ, δ' ἅπ' αὖ δέμας, ὄμμα δαμάζω,
 Φροντίσιν ἡματίησι καὶ ἐννοχίησι τέτληκα,
 Ψυχὴν τὴν τριτάλαιναν ὅπως τυρὸς ἐξεύσαιμι.
 Ἀλλ' ἔμωυς κρατέω τῆ σάματος ἔχ' ἀμογητὴ.
 Πῶς δέ σι καὶ νεότητα φέρων, καὶ σάρκα εὐγείρων
 Ευρυτέρας ἐλέφαντος, ἔπειτα δέ μοι διαβροπῆ
 Ως δὴ τις καθαρός, καὶ πνεύματι τὴν ἀγαπήτην
 Στέργων, ὡ φευκλὴς ἀγάτης, ἦν χριστὸς ἀτίθει.

REDDAMVS LATINE:

quando festinans chalcographus
 pangendi carminis moram
 minimè patitur.

*Equidē iā canis castigo corpus, & comprimo visum,
 Curis diurnis atque nocturnis exhaustus contubui,
 Animam ut rex miseram ex flammis mihi eripiam.
 Attamen nec sic corpori dominor sine labore.
 Tu verò, qui iuuenilem portas aetatem, & carnes
 Erigis el-phante latiores, quomodo mihi postea de-
 liciaris.*

*Quasi castus scilicet aliquis, qui que earam tuam
 amore*

*Prosequaris spiritali? ò fugiendam caritatē, quā
 despicit Christum.*



DE

STVPIDISSIMAE,
 ET VERAE IDOLOLA
 TRIÆ, QUÆ QVONDAM
 APVD ETHNICOS FVIT,
*hypocoristica interpretatione, eademq̄, frau-
 dulenta, & falsa, oratio catholica con-
 tra I. Caluinum hereticum, authore Ma-
 thia Bossemio Amsterodamensi, primario
 in celeberrima vniuersitate Duacensi s.
 theologia professeore.*

Hegimus, viri Christiani,
 iidemque (Christo gra- l. 1. de
 victo.
 verbi dei
 ca. 14.
 tias) etiã catholici, apud
 Rupertum abbatē Tui-
 tiensem, doctorem suo
 sæculo valdè theodida-
 ctum, ex dæmoniaca quadã indole, vsque
 hodie prouerbio iactari: Ob derogationẽ
 melioris semper fauere peiori, istãmque
 I ij tam

tam malignam fauoris affectionem ex
 superbia oriri & inuidia: quibus utiq; pas-
 sionibus duabus, in confesso apud theo-
 logos est, præcipuè vniuersum agitari
 semper dæmonum populum, cum prin-
 cipe suo diabolo. Quoniam autem
 apostaticos istos spiritus (dæmonas di-
 co) iuxta apostolicam doctrinam ma-
 gistros sibi sunt fortiti hæretici, & ipsi in-
 signiter superbi quidam apostatæ: haud
 alienū fore existimaui, si vnius hominis
 exemplo, nec nisi vno quopiā producto
 argumento, paucis, hac nunc oblata no-
 bis dicendi occasione, hoc in conuentu
 exponerem, quomodo diabolicū illud,
 quod recitauius, prouerbiū, in nostræ
 quoque nunc tempestatis mirificè com-
 pleatur hæreticis: deindè que in adiutorio
 dei complemētum hæreticum gnauiter
 deplere, funditūsq; euacuare conarer.
 Namque odiosissimè illi quidem catho-
 licos insectari semper pergunt, quod
 Christi, & sanctorum eius imagines reli-
 giosè venerari soleant. Nempe quo nul-
 lum horribilius scelus existit aliud, quasi
 verissimos idololatrias eo ipsos nomine
 & malè incomitari vbiq; ac inforare,
 &

Aug. de
 ciuit. dei
 l. 8. c. 22
 & l. 14.
 c. 3.
 1. Tim. 4.

& verò condemnare etiam non cessant. Cæterùm catholici tam detestabile vt à se crimen defendant, inter alia & illud ad causam allegare consueuerunt, gentiles deo permittente, & illorum malitia sic commerente, eò quondam amentia fuisse abreptos: vt ipsa sua quædã simulacra, quæ idola vocantur, ipsumque manuum suarum opus, sine vlla ad diuinũ aliquod numinis prototypum relatione, suprema coluerint cum veneratione, tanquam si verè verus ipsorum fuissent deus; indèq; factum, quòd idololatrias eos vbique nominari audiamus. Illiusmodi porrò vesaniam longissimè ab omnium semper abfuisse, atque etiamnum abesse persuasione Christianorũ. Hos enim vnus veri dei, qui solus creauit cælum & terram, fide semper per gratiam Christi benè illuminatos, nullam vnquam imaginem aut statuam, suum credidisse, aut credere esse deum: Sed in sacris Christi imaginibus, ipsum catholicos adorare Christum, verum illum suum & omnium deum: alij verò in imaginibus, sanctissimã eiusdem venerari matrem, cæterosque fideles ipsius ac singulares amicos; qui quin post

I iij

Chri-

Christum deum, sua sint & ipsi magna quadam veneratione digni, ne ipsi quidem hæcenus negarunt hæretici: propterea quæ si quo nouo fortassis, hoc propter suum factum, catholici nunc essent appellandi vocabulo; non eos odiosè & impiè idololatrias, sed amicè & piè Christolatrias potius, & theolatrias, & hagiostebastas appellari debere. Verum enim uerò ne tam clara, tamque facili audita semel apologia, quæ totam procul dubio controuersiam hæc apud iudicem æquum profus absoluit, mox per eam lis item omnis sopita, omnisque catholicos deinceps, quasi veros idololatrias criminandi ansa disrupta omnino, ut verè est, ita & videri queat ab omnibus: subsumit non ignobilis quidam nunc hæreticorum antesignanus: nunquam ethnicos tam fuisse stupidos, vllum ut suorum simulacrorum crederet esse deum: fuisse nihilominus omnes, veros idololatrias, vel ea tantum de causa quod in simulacris, vel per simulacra sua, siue verum, siue opinatum aliquem se cogitarent colere deum. Auditis igitur, quantum iste apostaticorum nunc spirituum discipulus, iuxta memoratum pro-

uerbi-

uerbium, deterioribus faueat paganis, ne per recitatam modò apologiam, omnis omnino sublata videatur esse occasio melioribus nequiter derogandi Christianis. Scilicet illam suam per subsumptionem protinus inducit, omnes itē catholicos, siue, vt illi contumeliosè appellare malūt, papistas parē ob causam & esse, & fuisse semper indubitatos idololatrias, ex quo tēpore imaginibus Christi, & diuorum eius, ad qualemcunque (vt nunc videmus) uenerationē & cultum abuti uoluerunt: quantumcunque protestentur interim nullam se imaginem, nullamque statuam, credere aut credidisse vnquam suum esse deū. Sed enim quoniā omnis ista tam malitiosa inductio nullam penitus tenere consequentiam potest, si antecedēs eius vacillare uiderimus & cadere: idcirco quod hæresiarcha cōfidenter sibi sumit pro uero, illud nos falsissimū vt esse demonstramus, eo nunc in argumēto, hæc cōsumetur oratio, ideo theologis (vt opinor) auditoribus futura gratior, quòd nemo hæctenus, quantum quidem meminisse possum, materiam istam tractādā sibi sumpserit. Sumit ergo contra præclar-

I iij

ram

rā catholicorum defensionem hærefiar-
cha Calvinus: nunquam ethnicos tā stu-
pidos fuiffē, vt vllum simulacrorum, seu
idolorum suorum crederent esse deum.
Atqui longè aliud in cęlestibus passim
literis occlamat spiritus sãctus. Primũ,
ethnicorum attestante doctore apostolo
Paulo, gẽtiles singularem patrię cultum,
qui nõ nisi vni viuo & vero debetur deo,
detulerũt imaginibus rerum corruptibi-
liũ, seruiẽtes hoc pacto creaturę potius,

*Ambros.
Theodor.
& Orig.
in 1. c. ad
Rom.
Deutero.
29.
1. Cor. 8.*

quã creatori. Rom. 1. Cũ igitur omnes
istę imagines nil nisi inania quędam fue-
rint idola: consequens est, vt eas verè pu-
tauerint esse deos. Vnde ad Corinthios
idem postea scribens gentium doctor, de
escis, inquit, quę immolantur idolis, sci-
mus quia nihil est idolum in mundo. Ec-
ce de alimentis suis ethnici, teste Paulo,
idolis offerebant sacrificium. Putabant
igitur idola illa sua, suos esse deos, iuxta
inclytum illud, quod ex cõmuni omniũ
hominum sensu atque consensu, est vbi
pronunciauit axioma d. August. Nemo
vnquam sacrificandum putauit, nisi illi,
quẽ deũ aut sciuit, aut credidit, aut finxit.
Clara sunt hæc: sed longè clariora, quę in

*De ciuit.
des l. 10.
ca. 4.*

veteri

veteri passim instrumento occurrunt. Præuidens namque in lumine spiritus s. magnus propheta Moses, & tanto antè prædicens, quomodo olim sanctus dei populus Iudaicus, propter peccata sua, ex terra promissionis, in varias esset abducendus nationes infideles, & impias: Delebit vos dominus, dicebat, atque disperget in omnes gentes; ibiq; seruietis dijs, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. At verò sanctus Ieremias, cùm iam tempus adesset, quo antiqua illa prophetia Mosis impleteretur, scribens tunc de gentilium superstitione ad fideles Iudæos: videbitis, dicebat, in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari. Illi autem dij taliter materiati, taliterque portati, quid erant, amabo, nisi mera ethnicorum Babylioniorum idola? Sic sanè res exponitur lib. & cap. 2. Machabæorum. Ethnicus præterea Laban, quando exostulabat cùm patriarcha nostro Iacob, de sublatis sibi suis idolis: esto, inquit, redire volueris ad tuos: sed cur furatus es deos meos? Putauit igitur,

Deuter.
4.

Baruch
6.

Genes.
31. Iudæ.
17.

tur, vt Babylonij, sic & Laban, homines gentiles, sua idola suos esse deos, quemadmodū de impijssima ista gentium persuasione, multo adhuc apertius, prodidit postea b. Esaias cap. 44. medium ligni cōbussit homo igni, & se calefecit: reliquū autem eius fecit deum, & sculptile sibi. Curuatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat dicēs; Libera me, quia deus meus es tu. Quid illustrius? Aut si quid illustrius postulare ausit effrons & proiecta hæreticorum temeritas: doceāt, si audēt, quibus tandem alijs spiritui sancto fuerit vtendum verbis, si indicare vellet eam olim gentilium fuisse dementiam, vt saxea ligneaque, & alia id genus idola, crederēt suum esse deum? Interim nobis, qui catholici dei gratia nominamur & sumus, non dissimilem eiusdem nefariæ persuasionis demonstrationē suggerit scriptura

Dan. 3. s. apud b. Danielē. Ecce deus noster, quē colimus, dicebant prænobiles vnus veri dei cultores, Sidrach, Misach, & Abdengo, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. Quod si noluerit: notum sit tibi, ô rex, quia deos tuos non colimus: & statuam auream

CONTRA CALVI. 124

auream, quam erexisti, nō adoramus. Accipitur enim ex frequentissima s. scripturæ cōsuetudine coniunctio illa, & epexegeticōs, hoc & præcedenti Esaię loco: vt expositionis sensus sit: Statua ista, quam erexisti, ô rex, & quam tu deum tuum esse existimas, nos tanquam deum minimè gentium adoramus. Hic siquidem expositionis sensus manifestissimè liquet post ea cap. 14. vbi hunc in modum legimus. Erat idolum apud Babylonios, nomine Bel: rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum. Notate verba, & impietatis signate mysterium. Et enim cur hoc tam breui in sermonis cōtextu, præcedit idolum generis neutri, & confestim nō neutro, sed masculino subsequitur genere, Rex quoque colebat eum, & adorabat eum? Cur hoc, nisi vt ex taliter figurata sermonis synthesi, certius cognoscere possemus, eum Babylonijs simplicem fuisse sensum, ipsum vt generis neutri idolum haberēt pro deo generis masculini? Id quod simplex quoque regis oratio satis validè confirmat, quando subiūgitur: Nō videtur tibi, ô Daniel, esse Bel viuens deus? Eôdem faciunt, quæ
sug-

suggerit liber sapientię cap. 13 & 15. Infœlices sunt (subaudi idololatræ) qui appellauerunt deos, opera manuū hominum, aurum & argentum, & cętera. Et aliquāto infra: Omnes insipiētes, & infœlices supra modū animæ. Superbi sunt & inimici, ô deus, populo tuo, & imperātes illi. Qui omnia idola nationum, deos æstimauerunt, opera manuum hominū. Ecce proclamat hīc verbis disertissimis, per os sapientis, spiritus sanctus, spiritus veritatis, omnes Iudaici populi inimicos, quales erant gentiles Babylonij, & Assyrij, omnia idola nationum æstimauisse esse deos. Quis igitur alius, nisi contradictionis & mendacij spiritus, agitare potuit Caluinum; quando is, vt catholicos maiori grauaret inuidia, impiam gentilium sic eleuare voluit superstitionem, vt scriberet, ne ethnicos quidem tam stupidos fuisse vnquam, vllum vt idolorum suorum, suum crederent esse deum? Hunc iam tam ingentem gentium stuporem, si quis cum stupido, aut stuporis simulatore, demiratur Caluino; mirari desinet, si diligenter consideret, quomodo iusto tunc suo iudicio deus per-

permiserit cunctas gētes ingredi vias suas,
& ambulare secundum prauitatem cor-
dis eorum, in adinuentionibus suis, act. 14.

Certē ex quo semel in primis nostris pa-
rentibus, præterito deo, serpenti auscul-
tare voluimus, deindēque grauissima illa
naturam humanam peruasit peccati ori-
ginalis lues & corruptio: tāta nunc eheu
mortalium, non solū infirmitas, sed
& vanitas existit vanitatum, tanta item
diaboli, principis erronearum tenebra-
rū, qui quando lucifer erat in cęlo, nō si-
ne vllō idololatrię principio, pro increa-
to se voluit haberi deo, ad decipiendum
miseros nunc homines viget subtilitas,
tantāq; eiusdem dominatur vis, & ener-
gia: vt nisi contra ipsius tenebras, domi-
nus exercituum semen nobis aliquod re-
liquisset, semē autē erat Christus: omnes,
ad idololatriam vsq;, sicut Sodomā fie-
remus. Per ipsum siquidē, Christū dico;
Christiq; summę humilitatis sacrificium,
est nunc & idolis detractus tandem inde-
bitus, impiūsque cultus: & vni per eun-
dem viuo atque vero deo patri in vnitate
spiritus sancti omnis honor & gloria,
quasi postliminio reddita, redditāque
ser-

Psal. 80.

*Ezech.
29.*

*Rupert.
de vict.
ver. dei.*

*l. i. c. 8.
Prudent.
in ha-
martig.*

*Orig. ho.
17. in
Num.*

*Chrysoſt.
in pſal. 8.*

ſeruatur: Huic vt Turcę debeant, ipſi que
nunc etiam Iudęi, quamuis beneficij au-
torem deſpiciant, quod idola non colūt.

*In ca. 1.
ad Rom.*

Alio qui iuſtiſſima, dictatore Chryſoſto-
mo, omnibus foret etiamnum mortali-
bus pœna, vt qui in aboriginibus no-
ſtris, Adam & Eua, inuido illo ſic ſolici-
tante diabolo, vni vero deo creatori no-
ſtro, ſoli altiſſimo, ſubefſe nolui-
mus, in-
fimis nunc quibúſque eiúſdem per calli-
diſſimi ſerpentiſ tentamenta, viliſſimif-
que, velut ſummis tamen dijs, ſubijcere-
mur, creaturularum (ſi fas eſt ita loqui) lu-
dibrijs: & quidē (horrendū foedūq; dictū)
ad crepitum vſque ventris. Nam & hoc
rei pſa incredulis olim eueniſſe gentibus,
vt crepitū ventris colerent pro deo, ſcrip-
tum nobis reliquit d. Clemens ad Iaco-
bum adelphotheum li. 6. recognit. Certē
electus dei populus, & dilectus gens illa
ſancta, & populus acquisitionis, de quo
glorioſē canit propheta, quòd deus tali-
ter non fecerit omni nationi, & iudicia
ſua non manifeſtauerit eis, quòd notus
in Iudæa deus, & in Iſraël magnum no-
men eiúſ, ipſi illi Iudęi, inquam, & quidē
illo tunc tempore, quando vnus & veri
dei

*Plin. l. 2.
cap. 7.*

dei
rec
ſta
ru
Al
tes
li i
ró-
Hi
ter
plu
pro
qu
eſt
cat
ijde
off
ear
ter
ne
op
ma
re
po
de
co
eſt

CONTRA CALVI. 128

dei ineffabilibus miraculorū generibus,
 recens probata eis, confirmatāq; optimè
 stare fides, nonne mox vt AEgyptū fue-
 runt egressi, in eandem cum incredulis
 AEgyptijs, cæcitat̄ voraginem, præcipi-
 tes ruisse leguntur? Nonne aurei sui vitu-
 li idolo, tanquam vero suo liberatori, ve-
 rôque deo, deuotissimè acclamauerunt?
 Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de
 terra AEgypti: siue vt istum hebraicè
 pluralitatis idiotismum singulariter ex-
 pressit Esdras li. 2. cap. 9. Iste est deus tuus,
 qui eduxit te de AEgypto. Nonne, quæ
 æstimatæ deitatis indubitata erat signifi-
 catio, eidem ilicò idolo aram præterea
 eidem extruxerunt Iudæi, & sacrificium
 offerre properarunt, atque hoc solēni ad
 eam rē, ac festo indicto die: nihil vt omit-
 terent, in tali quidem festinatione, homi-
 nes insani & rabidi, quod ad profitendā
 opinatæ in vitulo aureo verè diuinitatis
 maiestatem, iusti aliquid pōderis confer-
 re posse videretur? Quòd si ergo tali tem- Psal. 89.
 pore, sed & ipse ad tēpus sibi derelictus à
 deo, tam horribiliter insanire potuit Ia-
 cob, quem deus dilexerat, tu postea mirū
 esse existimabis, si ante tempus gratiæ,
 quan-

Esa. 60.

quando tenebræ operiebant terram , & caligo populos , consimilem in modum delirasse credamus Esau, ceterasque cum eo gentes, quas tunc oderat deus? Mirum tu existimabis, aut paradoxum, si non ab- similem cæcitatæ caliginē nobis quoque, ex non dissimilibus oriundis gentibus, etiamnum oboriri posse pronunciemus: si Christus lux mundi, principem erraticarum tenebrarum, iam foras non eiecisset, ligatūq; foris teneret? Namque ingenium si tu fortè tuū hîc respicias, illiūq; qualē qualem suspicias acrimoniā: quòd si tu te catum, cautumq; magis, ac magis circūspectum esse fortassis arbitreris, quàm qui tam manifestis, tamque crassis, tam improbabiliū errorum quibusuis, & quantiscunq; nubibus, nō altum oppedere semper posses: nunquid obsecro illiusmodi in dotibus , illo etiam Salomone tu te, quisquis tādē es, superiorē imaginari audebis: de quo non sine singulari quadam emphasi , oracularis

Sap. 8.

nobis prodidit scriptura, quòd puer fuerit ingeniosus, & animam fortitus bonā: cūque magis esset bonus , venerit ad corpus incoinquinatum : denique quòd

cor

cor illi deus dederit sapiens & intelligēs
 in tantum, vt nullus ante ipsum similis
 ei fuerit, nec pōst surrexerit, aut surrectu-
 rus sit? Et tamen hic ille talis, ac tantus,
 non dico philosophus, sed rex verē so-
 phus, & populi fidelis & sapiētis rex, nū-
 quid non, quando sub senectutem sibi
 fuit derelictus à deo, post omnem tādē
 illam suam, & logicam, & physicam, &
 ethicam, & metaphysicam, & hyperphy-
 sicam sapientiam, ad illam & ipse tali cū
 ingenio suo, cum incredulis gētibus de-
 uolutus fuit stultitiam, vt deos sequere-
 tur alienos, & coleret Astarten, deum Si-
 doniorum: & Chamos, deum Moabita-
 rum: & Moloch, idolum Ammonitarū?
 Domine spes mea, à iuuentute mea, ne
 proijcias me in tempore senectutis: cū
 defecerit virtus mea, ne derelinquas me
 domine. Non me prāterit, quomodo
 quāue ex occasione, huius in eo sceleris
 grauitatem eleuare interdum tentaue-
 rit b. August. Sed communis nostrę ver-
 sionis textum planum & simplicē, sim-
 pliciter intellexere Tertul. vir ad miracu-
 lum vsque doctus, & Iustinus, Christi
 martyr, excellenter & ipse in diuinis lite-

3 Reg. 3
 c. 11.

Salomon
 idolola-
 tra. Iust.
 c. in Try-
 ph. Ter-
 tul. l. 5.
 cont.
 Marc.

Psal 70.

Aug. de
 ciuit. dei
 l. 14 c. xi
 c. de
 gen. ad
 lit. l. 11.
 c. ult.
 Iust. in
 suo Try-
 ph.

K ris

ris eruditus. Certè sic iuxta peruulgatam
versionem latinam, coluit idola Salomō,
vt illo in nefario cultus abusu septuaginta
interpretes non dico gestum homi-
nis, & externum dumtaxat corporis ha-
bitum, externasque solū actiones, sed
ipsum eius etiam cor auersum (vtique à
vero deo) ad falsos conuersum fuisse ex-

s. Lucifer
episc.
Calarit.
de regib.
postat.

ποσuerint deos: Εξέκλιναί αι γυναικες αι
αλλότριαι την καρδιαν αυτου, οπισω θεων
ετερων. Nō aliter quā futurorū præcius
deus id, in legislatione, impijs suę legis
præuaricatoribus euenturum prædixerat.

Orig. ho.
20. in
Num.

Quocirca Origen hoc in Salomone qua-
le fuerit peccatum, alicubi declarare cum
vellet, Ego, inquit, puto quod multa
mulieres, multa dogmata, & multa-
rum gentium diuersæ philosophiæ no-
minentur. Quæ cum singula agnosce-
re & perscrutari, vt pote scientissimus &
sapientissimus, voluisset: semetipsum in-
tra legis diuinæ regulam tenere non po-
tuit. Decepit eū Moabitica philosophia,
& persuasit vt idolo Moabitico immola-
ret, similiter & Ammonitarum, sed & re-
liquarum gentium, quarum mulieres di-
citur recepisse, vel immolasse idolis. Vi-

des

des ergo sic, iuxta Origenem, in senectute sua idololatram fuisse etiam Salomonem, & sic eum diuersarum gentium deceptum falsos coluisse deos, qualiter veteres ipsius progenitores, iuxta philosophiam Aegyptiacam, in deserto olim coluerant idolum conflatilis sui vituli. Eundem simplicis intelligentiae sensum sua item in metaphrasi graeca expressit etiam Iosephus. Ipseque beatus Augustinus est ubi attendere nos moneat, & aspicere Salomonis domum, quando iam tenuerat, plenam mulieribus alienigenis, colentibus deos falsos: & ipsum ab eis regem, aliquando sapientem, in eandem idololatram seductum atque deiectum fuisse. Denique Suida sic eum idololatram fuisse pronunciat, ut inter προσκυῖσαι ἢ λατρεύσαι, unde idololatra componitur, hanc scribat esse differentiam: Διαφέρει τὸ προσκυῖσαι, ἢ λατρεύσαι. συμβαίνει μὲν γὰρ διὰ φόβου προσκυῖσαι, οὐ μὴν δὲ λατρεύσαι κατὰ ψυχὴν. ἐκάτερον δὲ ἄσεβες ἢ θεοφυγῆς. Nec vlla profecto apparet causa, dumtaxat grauis & iusta, cur non & Salomon posteaquam iam à vero esset

Ioseph. l. 8. antiq. c. 2. Graec. Aug. de ciuit. dei l. 17. ca. 8.

Suida in vocabulo idolorum.

Orig. & Theodor. in exort. quest. 38

auerfus deo, fibique relictus, non eodem tunc animo, eodemque modo, alienigenarum vxorum suarum coluerit idola, quo postea modo simul & animo, feri successores eius, reges vnà cum sacerdotibus, & prophetis, similia apertissimè scribuntur coluisse idola. De quibus aliquàto infrà. Nam nūc tempus est, vt audiamus, tam vt vidimus exuperanti diuinorum testimoniorum luci, quales antagōnista noster Calvinus, vanitatis nitatur offundere tenebras: ne vnquam (quod ille vult) tã stupidi videantur fuisse ethnici, vllum vt idolorum suorū simulacrū, suum crederent esse deum. Vocauerunt quidem Iudæi, inquit, vitulum illum aureum, deum suū, sed per metonymiam. Vocauerunt ipsum nomine dei, non quòd verè ipsum crederēt suum esse deū: sed quod inuisibilis illius numinis, quem verè suum sciebant esse deum, visibile quoddam foret monumentum, & aspectabile signum. Haud ferè aliter, quam quando Christus dicit in euangelio: Hoc est corpus meum; verborum istorum, venerabilis ille noster sacramentarium patrens Berengarius, sensum nos esse docuit non

non simplicem, sed figuratum: Hoc symbolū est, aut signū corporis mei, nec quicquā aliud. Quocirca quòd erecto vitulo, mox extruxerint quoque altare Israëlitæ, obtulerintque holocausta, & hostiās pacificas: non aureo vituli sui idolo, inquit, sed vni vero deo, liberatori suo, in idolo, siue per idolū, aut ad idolum, sacrificasse intelligi debēt. Nec secūs commentatur de idololatria hominis ethnici, Labā, socreri patriarchę nostri Iacob. Namque illū quidem simpliciter de idolis suis dixisse Iacobo cōmemorat scriptura s. Cur furatus es deos meos? Sed quid hunc in scripturæ locum figurista, & tropicus noster hærefiota, Calvinus? Videmus, ait, vt Labā theraphim vocet deos, nō quia deitate illis aliquam adesse putaret, sed quia in honorē deorum, imagines illas colebat: vel potius, quòd deo sacrificaturus, vertebat se ad illas imagines. Nec dissimili deinde commēto aliorum quoq; ethnicorum idololatricam, passim in suis scriptis, eleuare pergit superstitionem. Veteribus siquidem idololatriis nō defuit, ait, prætextus, quòd metonymicè vocarent deos, imagines repræsentiandi dei causa

*Super
Gen. fol
229.*

confictas. Neque vnquam increduli eò
 dementia fuerunt abrepti, vt statuas, vel
 picturas simpliciter adorarent. Ita ille,
 vt melioribus detrahat Christianis, dete-
 rioribus vbiq; palpatur paganis, sine vllò
 prorsus (vt aſſolet) autore, ſacroſanctam
 vbique ſcripturam, per ſuos imaginarios
 tropos, tranſfigurans in ſenſum quem
 vult. At non ita illi, de quibus Iſraëliti-
 ci populi dux hoc nobis in mandatis reli-
 quit, beatiff. propheta Moſes: Interroga
 maiores tuos, & dicent tibi: quandoqui-
 dem iuxta principem apoſtolorum, diuini
 Petrum, diuinarum ſcripturarũ interpre-
 tatio, propria autoritate non fiat. Scribēs
 itaque in Eſaiam b. Hieronymus, cuius, in
 medio eccleſiæ, aperuit deus os, & tractās
 illud cap. 44: Reliquum ligni fecit homo
 deũ, & ſculptile ſibi: Curuatur ante illud
 & adorat illud, & obſecrat, dicens: Libe-
 ra me, quia deus meus es tu: pleniũs, ait,
 ſuper irriſione idolorum propheticus
 ſermo contexitur. Quæ omnia facilis in-
 telligentia ſunt: nec lacinioſam, imò ſu-
 perfluam, expoſitionem deſiderāt. At qui
 quando propheta denarrat, hominem ex
 ligno deum ſibi feciſſe, & ſculptile, illicque
 ligno

Deutero,
 32.

ligno adorabundū dixisse: libera me, quia deus meus es tu: si sermo tunc ipsius nō esset simplex sed metonymicus, vt asserit Calvinus : non iam superflua profectō, sed valdē oportuna, imō necessaria omnino, in re tanta, commentatoris foret expositio: quod negat Hieron. Qui tamē, vt & cæteri doctores omnes, expositionē adhibet, quando Paulus auaritiæ crimen, idololatriæ nomine infamat, & auaros vocat idololatrias. Et s. Macarius, autor Græcus, qui Latinis, nisi fallor, necdum venit in vsum, homilia 24. agens de origine mali, fermentum illud, inquit, originalis noxæ, quo Adam peccans, totam post se fermentauit generis humani massam, ad illam vsque euasit idolomanix enormitatem: vt miseri homines ne esse quidem deum arbitrarentur. Sed lapides quidem adorarent inanimatos, ipsū verò deum, ne sola quidem cogitatione tenus, capere valerent. Ipsa auctoris verba, si quis ea fortè τῶν φιλελλήνων ad maiorem desideret fidem, sic habent,
 Ο ἀδάμ παραβάς ζύμην κακίας παθῶν
 ὑπέδρατο εἰς ἑαυτὸν, καὶ οὕτως κατὰ μετο-
 χὴν οἱ ἐξ αὐτῆς γεννηθέντες, καὶ πᾶν τὸ γένος

K iiij ἀδάμ,

Ephes. 5.
Coloss. 3.

ἄδ' ἀμ, ἐκείνης τ' ζύμης μετέσχε, καὶ λοιπὸν καὶ
 προκοπὴν καὶ αὐξήσιν εἰς τοσοῦτον ἠύξησεν εἰ
 τοῖς ἀνθρώποις τὰ πάθη τ' ἁμαρτίας, ὡς τε
 ἕως πορνείων, καὶ ἀσελγείων, καὶ εἰδωλολατρειῶν,
 καὶ φόνων, καὶ ἐτέρων ἀτοπημάτων χωρῆσαι, ἕως
 οὐ ἐζυμώθη τῇ κακίᾳ ἢ ἀνθρωπότης: καὶ εἰς
 τοσοῦτον ἠύξησεν ἐν ἀνθρώποις τὸ κακὸν, ὡς νο-
 μίζειν μὴ εἶναι θεὸν, ἀλλὰ λίθοις ἀψύχοις
 προσκυνῆσαι, μήτε καὶ ἕως ἐννοίας θεὸν λαμβά-
 νειν δύνασθαι, εἰς τοσοῦτον ἐζύμωσεν ἢ τ' κακίας
 τῶν πατρῶν ζύμη τὸ γένος τ' παλαιῶν ἀδ' ἀμ.

Quaerunt quid attinet hac in causa, mul-
 torum ut patrum testimonijs, hoc nunc angu-
 sto tempore, abutamur; quando quas sodalium
 suorum oculis tropicas offundere cona-
 tur tenebras hereticus, eas ipsa fulgentif-
 simis suae lucis radijs, omnes evidenter
 dispellat scriptura s. Etenim si non nisi
 metonymicè, mi Caluine, increduli quō-
 dam ethnici idola sua vocauerunt deos,
 ut tu nouus nunc dogmatizare instituiti
 magister: non igitur deos ea esse senserunt.
 Prorsus hoc ipsum illud est, inquis, quod
 ubiq; doceo. Audio: sed sic inquiētī, sicq;
 docenti, nimisquā apertè expressissimū
 tibi in os contradicit, quod dudum audi-
 ebamus, dei verbum: Omnes insipientes
 &

CONTRA CALVI. 138

& infoelices supra modum animæ: qui omnia idola nationum deos æstimaerunt. Hòc tu ferreum, contra te, tuúmque; contra nouitium dogma argumentum, nunquam nec solues nec rumpes, neque verò soluere, aut rumpere vnquam ualebis, quamdiu quidem scripturam istã negare nõ audebis. Id verò si perfricta quãdoque; fronte audeas fortasse, scilicet quia aliter, quã tãdem euadas, non videas: iam alijs præterea, non dissimilibus argumentorum catenis, nos te reuincire, reuinctũque tenere ualebimus. Nimirum, si gentiles increduli, per figuratam dumtaxat transnominationem quandam, simulacrorum suorum idolis deitatis olim uocabulum attribuerunt: fuit igitur de nihilo, quòd ad piam fidelium Iudæorum instructionem, sic cõtra impiam infidelium superstitionem argumẽtari olim uoluerit, & argumẽtum identidem inculcauerit, fidelissimus propheta Ieremias. *Dij* Baruch 6. Babyloniorum, dij sunt lignei, sunt aurei, sunt argentei, sunt lapidei; portantur in humeris: sensum nõ habent: à furibus, & latronibus nec se, nec alios defendere possunt. Si inciderit ignis in domum aureo-

aureorum istorum, argenteorū, & ligneorum deorum: sacerdotes quidem ipsorū fugient, & liberabūtur, ipsi verò dii sicut trabes, in medio comburentur. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos: frustra, inquam, sic quondā contra infideles ethnicos argumentatus fuisset vates fidelissimus, Ieremias: si tropicum tuum figmentum veritate niteretur Caluine. Inaniter quoque contra horrendas infidelium Assyriorū blasphemias hac, paucis ante id tempus annis, animum sibi suum, populūque suo fideli, erigere oratione, & confirmare studuisset rex laudatissimus, Ezechias: Aperi domine oculos tuos & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit, vt exprobraret nobis deū viuentem. Verè domine dissipauerunt reges Assyriorum gentes, & terras omnium, & miserunt deos eorum in ignem. Non enim erant dii: sed opera manuum hominum ex ligno & lapide: & perdidit eos. Mox namque ab idololatrarum magistris, & sacerdotibus, si non etiam à vulgo, respōsum fuisset prophete & regi, Quos vos contempnim, ô boni, lapideos nominatis deos, & ligneos,

ligneos, inque humeris quod portentur,
 ac in ignem coniecti quod comburatur,
 deridetur: non sunt illi nobis dij, nec esse
 putantur. Nouimus vnà vobiscum omnes,
 docti pariter & indocti, deos sublimes
 habitare in caelis. Attamen communica-
 tur & istis simulacris deitatis vbique vo-
 cabulum, sed figurato tantum per meto-
 nymiam sermone. Sic eis deitatis à nobis
 datur vocabulum, quomodo medici quo-
 tidie lotium à se inspectum, sanum esse,
 aut insanum, respondere consueuerunt:
 non quod in lotio ullam illi sentiant hæ-
 rere sanitatem aut morbum: sed quod in
 corpore humano sanitatem inesse, aut
 morbum, lotium inspectum frequenter
 significet. Sed pergamus erronem hunc
 magis etiam veritatis laqueis reuincere.
 Quod si, mi Caluine, gentiles increduli
 non aliter olim, quam figuratè, improprie
 & metonymicè (vt tu asseris) idolorum
 suorum simulacra, deos nuncupare consue-
 uerunt: frustra igitur nec nisi admodum
 ineptè, ac importunè, cultoribus illorum,
 hoc & simili tunc modo, soliti fuerunt in-
 sultare fideles: Simulacra gentium, argē-
 tum, & aurum: opera manuum hominum.

Os

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: nec clamabunt in guttore suo, psalm. 113, & 134. Etenim ecquid tandem ea in re ridiculæ potest latere absurditatis: quòd simulacrum aliquod, qualitercunq; illud materiatum & figuratum, os quidem habere cernatur mechanicum, nec tamen loqui, aut clamare posse dicatur: pedes & manus videatur habere mechanicas, neq; tamen ambulare, aut quicquam palpare posse concedatur: dummodò non nisi merum esse simulacrum dicatur pariter & credatur? Neque enim simulacrum vltimum, rei simulatę per omnia assimulari oportet. Quocirca ne ineptè, ne pueriliter, ne deridiculè, spiritus sanctus, per os olim prophetarum, sic gētiles in eorum idolomania subsannasse meritò putari queat: consequens est, vt sua illos idola non metonymicè tantum vocitasse, sed verè deos esse existimasse, & propriè nuncupasse ratiocinari debeamus. Namque talis demum existimatio, talisque nuncupatio,

patio, & non altera, nempe metonymica tua (mi Caluine) talibus sarcasmis, talibusq; scommatis dignissima inuenitur: deum quempiam existimare, & propriè appellare illud, quod cùm palàm omnia omnium sensuum conspiciatur habere semper organa; nihil tamē videre vnquā, nihil loqui, nihil palpare, nihil ambulare posse fateri necesse sit. Atq; hanc seriam apud paganos de idolis eorum, quòd essent dij, existimationē, propriāq; hāc, non metonymicam appellationē, luculenter iisdem, vnde scommata producta sunt, in psalmis, designauit rex pientissimus Dauid, quando irrisionibus protinus subiunxit: Similes illis fiant (nempe simulacris gentium) qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Designauit eandem nobis postea, eodem modo seriam, propriāque appellationem, etiam beatus Habacuc cap. 2. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile & imaginem falsam: quia sperauit in figmento fictor eius? Alioqui enim in deo, qui nō est, nec esse putatur, sed vanō & metonymico dumtaxat titulo deus vocitatur, nemo profectò magis

con-

confideret , quàm in picto aliquo hilo,
aut in inani ficti dumtaxat , pictiue hili
umbella. Ad hæc dicit eodem in psalmo
distinctionis causâ Dauid de deo vero:
Deus autem noster in cælo est. Atqui an
non id ipsum ei ad sua scommata de suis
quoque dijs mox indistinctè responsatu-
ri fuissent ethnici: si lignea sua, & lapidea
idola, quæ intra tēplorum parietes sem-
per continebantur, non nisi metonymi-
cè soliti fuissent cognominare deos?
Quod ergo simulacra olim sua miseri-
mæ gentes, sedentes in tenebris & in um-
bra mortis, seriò reputarent esse deos, ea-
démque consequenter propriè deos no-
minarēt, hoc demū illud est, quod omni-
bus dierum dominicorū festis, nos quo-
que nunc Christiani, sed ex gentibus ido-
lolicis oriundi, in gētibus, per psalmū
Dauidicum, ingenti cum animorum iu-
cunditate, deridere solemus, gratulan-
tes nobis, & exultantes, quòd per Chri-
stum, lucem mūdi, ex tam Cimerijs, tam
Aegyptiacis, tamq; crassis, & palpabili-
bus errorū tenebris, tandē aliquando su-
mus erepti. Hoc illud est, propter quod
ad cœlestis scripturæ imitationem, &
suo

CONTRA CALVI. 144

suo olim sæculo, quando adhuc in veneratione passim haberentur idola, ipsæq; subinde inter illorum versaretur adoratores, atque ideo idololatrarum sensum, mentem, & sententiã, quænam esset, probe calleret, huiusmodi eos salibus aspergere, & conficere amarit, vir disertissimus, Philo Iudeus. Summa, ô boni, inquiebat, votorum omnium & precum, summâq; totius adeò foelicitatis, ea in re cõsistit: vt deũ qui religiosè colũt, deo euadãt, quoad eius fieri potest, simillimi. Agedum igitur: si idola vestra, quod illorũ singularis vester abundè arguit cultus, dii vestri sunt: iam quò summæ foelicitatis summũ vobis citiũs adipiscamini fructum, precamini, vt vos sibi quàm excellētissimè dignẽtur præstare similes. Hoc est: Orate vt oculos habeatis, & nihil videatis: aures habẽtes, nihil audiatis: nares cũ habeatis, nihil odoretis: manus habẽtes, nihil palpetis: pedes vt habeatis, sed ambulare nequeatis: os cũ habeatis, nullam vnquam edatis vocem. Deniq; hoc ab illis, si dii sunt, supplicando contendite, vt quasi in carcere, vno quopiã semper affixi retineamini loco, nec vlla totius corporis vestri

*Philo in
li de de-
calogo.*

stri parte vllū vnquam opus, aut officium exercere possitis . Aut si hanc talem audientes orationem nostram, magnam vobis, pariterque dijs vestris, contumeliā irrogari censetis: euigilate igitur, & hoc tam euidens supremę istius irreligionis vestre tandem aliquādo aduertite argumentum: dum stolidē deos reputatis & colitis, quibus vt sitis natura similes, non optandum, sed abominandum esse putatis. Hoc item illud erat, quod & ipse antea perpēdens beatiss. propheta Ieremias, quando Babyloniorum simulacra deos appellasset ligneos, qui portarentur in humeris, nec se liberare possent, si cecidissent in ignem, hanc ilicō properauerat inferre conclusionem: Quomodo ergo, cū tales sint, æstimādum est, aut dicendum, illos esse deos: Hęc, inquam, hyperbolica illa erat insipientia, quam nō sine singulari cordolio, in gentibus idololatri, verbis significantissimis, exagitabat sapiens: Omnes insipientes, & infoelices supra modum animæ, qui idola nationū, deos estimauerunt: quibus neque oculorum visus est, ad videndum: neque nares, ad percipiendum spiritum: neq; aures, ad

au.

audiendum. Postremò, hæc profundis-
sima illa erat cæcitas, cuius cū à se Babylo-
niorum rex repellere niteretur pudorem,
apud Danielelem, adorationem inanimati
idoli constanter recusantem: Nō videtur
tibi, clamabat, ô Daniel, Bel viuens esse
deus? An nō vides, ô bone, quantū com-
edat & bibat quotidie? Ac si cæcus cæci
populi dux apertius dicere voluisset: Re-
ctè tu quidem statuis, mi Daniel, idolorū
statuas deos esse non posse, si vita careāt:
Veruntamen ad nostrum Bel quod atti-
net: ille sicut bellè comedit, & bellè bibit,
(quod vtique signum est viræ nō dubita-
bile) ita, quando quidē pedes habet & os,
facilè quoque ambularet, facilèque altum
clamaret in gutture suo, si non quietis &
grauitatis causā, stare semper mallet & si-
lere. Quocirca sicut, ipsa nobis oraculari
referente scriptura, non simplex solūm,
& popularis hominum, grex, sed & ipse
egregius Babyloniorum rex, verè viuere
contendebat idolum Bel: ita non meto-
nymicè, sed propriè, consequēs est, ipsum
vt deitatis honorasse nomine, censi de-
beāt rex & populus eius: & quod propriè
appellare consueuerant, id seriò quoque

L ipsum

ipsum esse, quamuis errantes, credidisse credendi veniant. Hæc de incredulis gentibus. Iam si & Israëlitæ, peculiarem illum dei populum & fidelem, non propriè, mi Caluine, sed metonymicè locutos fuisse nihilominus perseueres, quando erecto aureo vitulo, deuotissimè vociferati fuerunt: hi sunt dii tui Israël, vel hic est deus tuus, qui te eduxit de AEgypto: Quòd si quæ tunc holocausta, hostiàsque pacificas obtulerunt, non ea vitulo aureo, tanquam opinato suo deo, sed per vitulum, aut in vitulo, vel ad vitulum, velut ad vnius veri dei symbolum, vni vero deo, cuius manu educi fuerant ex AEgypto, obtulisse nihilominus instes adhuc: aspice igitur, quibus hîc quoq; argumentorum vinculis, & catenis, ad palinodiã istud os tibi tuum, quantumuis renitentis, trahamus. Videlicet sic sese si res habet: non ergo talem quando Israëlitæ agebant tragœdiam: tunc veri sui liberatoris, & vnius veri dei oblitos eos fuisse, dicere fas erit. Annuis tu quidem ilicò conclusioni: quinimò his ipse eam tute verbis in institutionibus tuis exponis: Non tã incogitantes

res erant Iudæi, quando vitulum illum aureū sibi fabricabant, vt nescirent, quis eos deus eduxisset ex Aegypto. Sed quia eum per se non videbant, ideo saltem in symbolo quopiam, aut simulacro, videre desiderabāt. At verò quā nos de dei tunc apud Iudæos obliuione fecimus conclusionem, cuiq; tu non grauātē consentis argumentationi, huic apertissimè per os Dauidis contradicit spiritus sanctus. Referens quippe regius ille propheta idololatricā Israëlitarum tragoediā, fecerūt, inquit, vitulū in Horeb, & adorauerūt sculptile. Et mutauerunt gloriā dei in similitudinē vituli comedētis foenū. Obliti sūt deū, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto: nec sūt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulātis. Vidē igitur quēadmodū nō metonymicè, sed omnino propriè vitulū suū aureū, suū vocitauerint deum? Scilicet athei esse nolebāt. Et tamen quod cōtra tuum spiritum erroris, spiritum audis pronūciare veritatis, vnus nunc veri dei, cuius manu educti fuerant ex Aegypto, erant obliti: vt metonymicōs illum deitatis honorare titulo, propter istā obliuionē, ne possent

*Tertul.
cont. Iud.
c. 1.*

Psa. 105

Psal. 77.

Esa. 44. quidē. Vnde quādo Ozię, & quorundam aliorum postea regum Iuda temporibus, Iudaicum populum, ne in eandē cum vesanis gentibus, superstitiosam incideret simulacrorum venerationem, vehementissima quadam deus percelluisset oratione: memēto horum, subdebat in orationis epilogo, quæ ab idololatriis fiunt: quādo inter alia adorabūdi dicunt ligno; libera me, quia deus meus es tu. Seruus meus es tu Israël; non obliuiscaris mei. Tanquam si apertius contra tropologicum nostrorum nunc heretistarū figmētum perorare voluisset. Vide ne quid erres, ô Israël, néue per sophisticum temetipse seducas metonymiarum prætextum. Spurca (edico tibi) idololatria, & sancta memoria mei, simul apud te durare non poterunt. Sed illa (quod absit) semel admissa, hanc procul à te abijisse necesse erit. Et verò si vel paululum auscultare libeat, quid sensus dictet cōmunis: quis fodes, tam fuit vnquam incogitans, quis adeo sui oblitus: vt populum aliquem in sui principis tunc diceret venisse obliuionē, quando statuum illius conspiceretur erigere maiestati auream, in eamq; principis

quo-

*Vide etiā
ca. 48.*

quoque audiretur transferre nomen : si modo (vt solet) palàm constaret, non nisi per improprium quendam & metonymicum id fieri apellationis abusum? Certè principes ipsi, & monarchæ, vsq; adeo non existimant, hoc se pacto in vllam apud subditos suos venire obliuionem: vt vel maximè tali modo, sui apud eos excoli, & celebrari memoriam interpretari soleant, nec id sine populi laude, & suo gaudio. Et tamen deus opt. max. per Dauidem, apud Israëlitas se in obliuionem tunc venisse conqueritur, quando nomē suum illi ad vituli transtulissent simulacrum comedentis foenum. Quòd si iam, tali audito argumento, excipiat fortasè familiarior quispiam antagonistę nostri amicus: Debemus enim catholici doctores, vt hæreticas istas capiamus vulpes, quæ demoliuntur vineã domini, omnia eis fouearum suarum tropica, in quibus confidunt, obturare foramina, etiam illa, quę ipsi fortasè in præsentiarum nõ aduertunt. Quòd si ergo excipiat hïc iam contra nos argutior quispiam ex Caluini amasijs, fieri potuisse, vt in vituli fabricatione, & adoratione, ideo cecinerit Da-

L iij uid,

uid, Iudæos dei sui fuisse oblitos, quia neglexerint legē eius. Scilicet inter alias, hāc quoq; eis legē dederat deus, ne facerēt sibi sculptile: neq; omnē similitudinē, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum. Hāc autē legē indubiē illi neglexerāt, quādo vitulū sibi aurēū conflare aggressi sūnt: si Iosephū, Philonē, Tertullianum, Euthymium, & Origenem hīc audire non detrectemus. Sic, inquam, si quis hīc ex heretistis Calvinicis cōtra nos iam arguitari voluerit: poterit ille, si non omnino cęcutiat; haud obscure cōsiderare, & istā alterā nūc quādā metonymicā suā interpretationem nouā, per eundem prophetā à Iudæorū sensu longissimē iā olim repulsiā fuisse, & quidē iisdē illis, quæ modò recitauimus, verbis. Obliti sunt, ait Dauid, deum qui saluauit eos. Non dicit; Obliti sunt deum, qui legem tulit eis in monte Sinai: sed qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto. Eisdem vt posteriores isti metonymici contererentur; adeoque in nihilum omnino redigerētur colores, antequām à factiosis istis Hugonotis, & hæresiotis nouissimis, ad excusandas gentes in peccatis, &

ad

Ioseph. l. 8. antiq. c. 2. Philo de ebriet. Orig. li. 4. cōt. Cels. Tertul. l. 4. cont. Marc. & de idolol. Euthym. in ca. 17. Matth.

ad inculandos nunc catholicos in auitę religionis officio, nefando ethnicorum idololatrarum sceleri possent induci: audi obsecro, qualiter ad eam rem verba tunc sua composuerit & ipse Iudæorum ille dux primus, & pastor inclytus Moses, quando populo illi suā exprobrare vellet idolomaniam. Verba sic habent deutero. cap. 32. In crassatus est dilectus, & recalci- trauit, dereliquit deum factorem suum, & recessit à deo salutari suo. Prouocauerunt eum in dijs alienis. Deum, qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es domini, creatoris tui. Scilicet vt infideles apud Efsaiam ethnici, sic & ipsi apud Ieremiam postea dixerunt etiā fideles, eheu, sed amissa fide, Iudęi, quin & Iudęorū reges, principes, sacerdotes, & prophete, dixerunt inquā, alius ligno, Pater meus es tu: alius lapidi, Tu me genuisti. Huc facit, nec minùs quā quę allata sunt, prædictos hereticorū metonymicos omnes cōrundit simul & cōfundit colores, quòd quādo serpentē illum æneum, qui olim à Mose exaltatus fuerat in deserto, sacrificio postea colere instituisent Israëlitæ, atque hæc vt ne in posterum ampliùs exerceretur

cap. 44.
cap. 2.
et 10.

L iij

impi-

4. *veg.*
18. *cont.*
Caluin.
in opus.
de neces-
sitate re-
form. ec-
clesie.

impietas, inhibere vellet populi tūc illius reformatore insignis, rex Ezechias, serpentis tum simulacrum sic confregerit, ut ipsum vocaret nehustan, id est, cuprū, aut æs. Ipse enim dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moses. Siquidem vsque ad illud tēpus filij Israël adolebant ei incensum: vocauitq; nomē eius nehustan, id est, cuprum, aut æs. Etenim ut iconomachi nūc nostri, dum violarent atque contunderent, aut dissecarēt imaginem aliquam, pro dolor, crucifixi saluatoris nostri Iesu Christi, frustra nec nisi valde ridiculè, pro illiusmodi nō zeli, sed furoris sui causa, opprobrire possent catholicis, quod nō esset nisi lignum, aut lapis, id quod frangerent: quādoquidem id & probè nouerimus, & palām profiteamur omnes: nec nisi metonymicè catholici qui sumus imaginem dei genitricis Mariam, & statuam Christi crucifixi, dominum deum nostrum, quanodque appellare soleamus: haud aliter quā ipsa hereticorum colluies imaginem Caluini, nomine domini & magistri sui, vocare amat Caluinum: Consimilem in

mo;

modum perineptè, pèrque ridiculè rex quoque ille laudatissimus, valdéque zelosus Mosaici serpentis statuam abolere cùm vellet, eris illam tūc vel cupri ignobili, & vili nuncupandam censuisset nomine: si quidem Israélite, qui ei incēsum adolebant, non ipsam, more gentium, seriò & verè cœpissent habere pro deo: qui, quod verissimè sentiebat rex, æs & cuprū esse non poterat. Quapropter vt scripturam conferamus cum scriptura, quod optimum est interpretandi genus; sic rex Ezechias Iudæis de serpente dixit Mosaico, est cuprum; quomodo sub idem ferè tempus eidem hominū generi, de vitulis, siue collectiuè, de vitulo Samaritano, per os prophetæ, ipsemet vnus, viuus, & verus dixit deus: *Artifex fecit illum: & non est deus.* *Osee. 8.* Vnde quod porrò consequens est, ipse per se, si opus sit, & velit, longiùs contexat hæreticus. Namq; nos quidem iam dudum clepsydrā nostrā nō nihil excessisse videmur. Videtis ergo viri Christiani, iidemq; (Christo gratias) etiam catholici, qualiter materiam theologis hætenus intractatā tractare potuerit nostra qualiscunque theologicę eruditionis tenui-

nuitas. Nempe hæc ferè erant, quæ superioribus meditâti diebus in mentē veniebāt: vt ex cælestium nunc scripturarum armario proferrem in medium, ad syllogismi destruendum antecedens; quando vt in terribili idololatriæ crimine semel obiecto, semper catholici teneantur orthodoxi, sic in academiâ Geneuensi cōtra eos loxodoxus argumētatur hæreticus, Calvinus: Nunquam homines, siue gentiles siue Iudæi, tam stupidi fuerunt, vt vllū idolum crederēt esse deum. Fuerūt nihilominus quā plurimi illorū indubitati idololatræ, vel ea tātū de causa, quod in idolis suis, vel ad idola, aut per idola sua, alij verum, alij imaginarium aliquē, se cogitarent colere deum. Sunt igitur & papistæ, nihilominus vt protestentur, se nullam imaginem, aut statuam credere suum esse deum, veri tamen idololatræ, vel eō saltē nomine, quod aut in imaginibus, vel ad imagines, aut per imagines, se verum profiteātur colere deum, Iesum Christum dominum nostrum, & veros ipsius venerari sanctos. Namque ad minorē istius syllogismi quod attinet propositionē, vno eam digito vel minimus

huius

huius nostræ scholasticæ palestræ tyro e-
uertat. Nimirum si quod ex suo cerebro
contra scripturam sanctam finxit Calui-
nus, nihil ethnici aut Iudæi in idolorum
suorum abusu peccassent aliud, quàm
quòd in illorum figmentis, & simulacris,
vnum semper aliquem, illumque alij ve-
rum, alij saltem opinatum voluissent co-
lere deum: iam superstitiosi quidem talē
ob causam fuissent: at idololatræ non itē.
Neque enim (quod erronem hunc fefel-
lisse videri potest) quilibet statim homo,
quomodolibet superstitiosus, idololatra
propriè nominandus venit: quando hoc
ter execrabile scelus, non alibi quàm in
vno ex multis, eoque supremo consistat
superstitionis gradu. Sed iuxta commu-
nem omnium semper fidelium conce-
ptum, iuxtaque ipsam apertam, & sim-
plicem nominis compositionem, græcè
aliquid scientibus notissimā, ille demum
& verè est, & propriè appellari meretur
idololatra, qui vno omnium creatore præ-
terito, deo vero, ipsū aliquod idolum vene-
ratur & colit, nec id quomodolibet, sed
ita vt illi seruiat pro deo, & tãquã deo. Sic
Aug. li. i. de trinitate c. 6. & alijs locis per-
mul-

Tho. 22.
quest. 94
art. 1. ad
ult.

multis. Sic & ipse perquam significanter zelosissimus ille, totusque flāmeus idololatrarum reformator, & gētium doctor, apostolus Paulus ad Rom. cap. 1. agēs ex

instituto de abominabili huius criminis
Aug. in psal. 113 conc. 2. de parte psal. 2. Ierem. 16. Osee. 7. foeditate. Mutauerūt, inquit, veritatē dei in mendacium: Hoc est, ait, August. imō Ieremias, & Osee, in idolum: καὶ ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κίσει, παρὰ τὸν κτίσαντα. Qui est benedictus in secula. Amē.

De argumentis Caluini, & quomodo in debita sacrarum imaginum veneratione, ab omni fidelis Christi cultores longissimè distent, distiterintque semper superstitione, Christo donante, aliās.



DE

SPECIALI DEI
AVXILIO, QVOD NISI

PRÆSTO ADSIT HOMINI-
bus, quomodo in accepta illi semel iu-
stitia perseverare non possint vsque in
finem: & quomodo hoc deus auxi-
lium singulare iustificatis non
subtrahat, nisi quando ab eis
prior ipse fuerit desertus,
oratio scholastica,

autore *Matthia Bossemio Amsterodamo, alme
vniuersitatis Duacensis cancellario.*



HAEC dies, quam fe-
cit dominus, auditores
Christiani: exultemus
& letemur in ea. Nem-
pe durat etiamnum læ-
tissima festa paschalia,
quorum in exordio, iucundissimum istud
epinicium de psalmis, ad omnes nobis di-
uini

Psa. 117.

uini officij horas , sancta mater ecclesia
canere quotannis , & recinere maxima
cum iubilatione , consuevit. Festiuita-
tis porrò paschalis, & ingentium illorū,
quæ festiuitas ista secum semper adducit
gaudiorum, solida ratio illo in mysterio
potissimū consistit, quòd dominus &
saluator noster , Iesus Christus , quum
mortuus fuisset propter delicta nostra,
resurrexerit tertio post die, propter iusti-
ficationem nostram. Nam vt alia tacea-
mus permulta, per vnum illud nunquā
satis deprædicatum iustificationis nostræ
donum efficitur , vt qui antea fueramus
semper natura filij iræ, regeneremur in fi-
lios dei, talēque per cęlestem regenera-
tionem, diuinæ euadamus consortes na-
turæ, qui alioqui puluis eramus & cinis.

Rom. 8. Quòd si autem filij , argumentatur apo-
stolus, ergo & hæredes: hæredes quidem
dei, cohæredes autem Christi. Et quæ-

1. Cor. 2.
Esa. 64. nam tandem hereditas dei? Oculus non
vidit , auris non audiuit , nec in cor ho-
minis ascenderunt, quæ præparauit deus
diligentibus se, ait idem apostolus, quan-
do in tertium sublatus fuisset cælum.

Confertur, inquam, nobis per vnū istud
in-

inæstimabile prorsus iustificationis beneficium, vt mortificando membra carnis nostrę, & exhibendo ea arma iustitię, in sanctificationem per obseruationē mandatorum dei & ecclesię, ipsa in accepta iustitia, cooperante fide bonis operibus, crescere semper, & in dies magis, atq; magis iustificari possimus, iuxta illud apocalypsis vltimo: Qui iustus est, iustificetur adhuc: & ecclesiast. 18: ne verearis vsque ad mortem iustificari. Ex quo fit, vt si quidem accepto semel diuino iustificationis talento prudenter & sedulò vtamur, quo diutius sub ærumnosæ mortalitatis huius pellibus agere contingit, eo quoque augustius æternæ nobis mansionis tabernaculum paulatim cõstruamus in cælo: & quæ ibi gloria semel nobis propter cælestem regenerationem debita fuerat nomine filiationis, ea iterum deberi incipiat, & quidem longè auctior, titulo bonorum meritorum. Verùm enimuerò dum sic exultat in die, quã fecit dominus, animus Christianus, & lætatur in ea, non desunt tenebrosi spiritus, qui sacrum hoc paschale gaudium renebricosis, & mœstis sophismatibus suis

suis profanare nobis moliantur. Suggestunt enim ex fuliginoso suo tartaro, & mille inde per mæandros, fraudésque per flexuosas agitare conantur quietas corda. Et quid, si perseverare non contingat? Certè saluus non erit, nisi qui perseveraverit usque in finem. Quorsum ergo acceptum semel iustificationis inestimabile donum? Quorsum sedulum & intentum semper bonorum operum, quibus iustitia crescat in dies, exercitium? Quid si qui te, quisquis es, non merito tuo, sed omnino gratis iustificavit, gratis quoque te deserat quandoque in finem? Desertus porrò, tibi que derelictus, quid si in tartareos iterum incidas latrones, qui te erutum semel de potestate tenebrarum, rursus inuoluant, omni penitus exutum stola iustitię? Quid enim? An non euaserit hoc pacto error posterior, peior prior? Certè melius fuerat (clamat præcipuus iustificationis præco) non cognoscere viam iustitię, quã post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod traditum erat, sancto mandato. Aduersus has cacodæmonias acediosi spiritus susurrations, ne merito per eas paschale nobis gaudium, quod
per

2. Pet. 2.

per totā profectō intemeratum deberet durare vitam, importuno quopiā intercalari posset mœrore, hunc in modum fidelium animos erexit, tranquillauit, cōfirmavit s. synodus Trident. Iustificati qui sunt, eo ipso magis se obligatos ad ambulādum in via iustitiæ sentire debēt, quòd liberati iam à peccato, serui autem facti deo, sobriè, iustè, & piè viuētes proficere possint, per Christum Iesum, per quē accessum habuerunt in gratiā istam. Deus namque sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Quæ quidē etiologia, seu causæ redditio, suauius (vt audire licuit) cōcepta verbis, quomodo intelligi debeat, huius nunc, dum adhuc festa durant paschalia, sermonis nostri esto materia. Namque attentè considerata, & vt futurum spero, rectè intellecta si fuerit, pro mirifico quodam veluti calcari nobis esse poterit: vt iustificati semel per fidē, rectè deinceps, & in finem vsque salutem nostram operari pergamus in domino. Qua in re vnus omnium paschalium gaudiorum est finis. Principio ergo sic habendum est: Vt iustificati qui sunt, benè operentur salutem

M suam,

*De iustif.
ca. 1 1.*

suam, benéque operantes perdurent, nequaquam sufficere, quòd per gratiam gratificatè regenerati sint in filios dei; talémque per admirabilem generationè, diuinæ consortes facti naturæ, atque esse quoddam adepti planè diuinum, diuina quoque valeant in posterum præstare opera: quorum incomparabili dignitati, cælestis & immortalis gloriæ hæreditas, tanquam iusta respondeat merces: sed talium vt in operum studio perseuerent, speciali eos quoque indigere insuper auxilio dei. Hoc principium longè ante concil. Trident. sic se habere, contra Pelagianorum errores, his verbis definiuerant patres Arausici cap. 10. Adiutorium dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum: vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perseuerare. Nec mirum: quando quidem iustificatis, perque iustificationis donum ià gratificatis, & gratis in filios dei adoptatis, sollicitè præcipi solet: vt nullo nō die dominicam assuescant recitare orationè. Quam quidem dum recitamus, petimus profectò, vt eius, quem patrem cœpimus habere in cælis, voluntas fiat à nobis in terra.

D. Aro-
pag. eccl.
hierarch.
c. 2.

Concil.
Trident.
de iust. f.
can. 22.

terra. Quæ porrò patris hîc nostri cælestis voluntas, si non illa, vt faciamus mādāta eius, taliq; in instituto ad extremum vsq; vitę spiritum perseuerāter duremus? iuxta illud apostoli & euangelistę, *Ioan. 14. & 15.* Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Manete in dilectione mea, item: Tene quod habes: ne alius accipiat *Apoc. 3.* coronam tuam. Petimus quoq; eiusdem in orationis dominicę clausula: Ne nos pater noster cælestis inducat, hoc est, induci permittat in tentationem: sed liberet nos à malo, diabolo videlicet, aduersario illo nostro infestissimo, qui *δειλιχῶς καὶ κατ' ἐξοχήν*, ac per excellentiam malus vocatur; sicut bonus Homerus apud gentiles nominatur poëta; próque exuperantissima sua malitia circuit semper quærens, num quem seducere à via iustitię, ac seductum deuorare queat. Orationi dominicę, toto terrarum orbe, cōsentit ecclesiasticarum precationum vsus & forma. Etenim mox vt euigilauimus, primo statim manè dicere solemus omnes iustificati: Dignare domine die isto sine peccato nos custodire. Domine Deus, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti,

M ij cisti,

*Jacobus
& Mar-
cus in
suis li-
turg.*

cisti, tua nos hodie salua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum: sed ad tuam semper faciendam iustitiam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Ac ne propter teporē fortasse nostrum, nostras non exaudiat deus illiusmodi preces, omnes præterea nobis sanctos, inter orandum, suffragari flagitamus, dum dicimus: Sancta Maria, & omnes sancti intercedāt pro nobis ad dominum: vt nos mereamur ab eo adiuuari & saluari, qui viuit & regnat in secula seculorum. Tum ingenti cum affectu ter illud Dauidicum ingeminamus, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et qua tandē de causa? Vt hīc & in æternum te auxiliante salui, & liberi esse mereamur, saluator mundi. Rursus die iam inclināte, nequaquam securi, quod horas eius omnes sine peccato per impetratum saluatoris nostri transmiserimus auxilium, hunc in modum precari solemus: Te lucis ante terminum, rerum creator, poscimus, vt solita clementia sis præsul ad custodiam. Dignare domine nocte ista, sine peccato nos custodire. Frustra autem, ne dicā
de-

Isal. 69.

derisoriè, has & similis generis preces alias multas, tanto studio diuinæ quotidie offerremus maiestati, idque partim iuxta communem ecclesiæ ritum, partim ex ipsa institutione Christi; si per id vnum, quod prærogatum habemus iustificationis donum, in accepta iustitia ad finem vsque persistere, omniâq; citra vllâ vsquâ offensionem mandata dei, nostro iam solorum (quod aiunt) Marte, implere valeamus. Elegantissima cum breuitate, nec minùs tamen illa præclara, Christus ipse, iustus noster, & iustificator, idemq; specialis noster adiutor, apud prophetam suum Zachariam: Effundam super domum

Zach, 12

David spiritum gratiæ, & precum. Spiritum gratiæ, quo iustificentur: spiritum precum, per quem vt in accepta semel iustitia sibi que inhærente, & crescant & ad finem vsque perseuerent, speciale sibi implorare queant, & impetrare auxilium. Neque verò obscura hîc est ecclesiasticæ autoritatis, Christiue institutionis ratio. Postquam enim peccatum originale semel intrauit in mundum, & per peccatum mors; iam quicumque iustificantur mortales, sic per istud iustificationis be-

M iij ne-

neficiū, à morte peccati ad vitā resuscitantur spiritualem, sicque sanantur: vt tamen originalis infirmitatis suæ, & mortis spiritualis, multas easq; benè graues seruent semper reliquias. Quid enim ecclesiastica illa primæ statim, post festum pentecostes, dominicæ collecta, quando & sabbatho proximè antegressò pentecostali, iustificati per baptismum catechumeni fuerunt, & ipso deinde die pentecostes, rursus in eos adueniente spiritu sancto, haud inefficaciter sunt cōprecati; Confirma hoc deus, quod operatus es in nobis: Quid, inquam, post regenerationis simul & cōfirmationis acceptū sacramētū, ecclesiastica tunc pro illis adhuc proq; alijs iustificatis omnibus collecta? Audite precem clarissimam; Deus in te sperantiū fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ; vt in exequendis mandatis tuis, & volūtate tibi, & actione placeamus. Ecce regenerati sunt, perq; regenerationis sacramentum iam sunt iustificati: iam & per alterum sacramentum chrysmatis in vita spirituali sunt confirmati; Et tamen
nisi

nisi adhuc auxilium eis aliquod adsit speciale, mortalem, quæ superest, tantam esse agnoscunt, in verbis matris suæ ecclesiæ, infirmitatem: ut , ad quod præstandum obligati tenentur, in exequendis mandatis dei nihil se posse aperte profiteantur. Nimirum simul iustificantur, quicumque iustificantur, perque iustificationis medicinam sanantur, simul in ecclesia tamen, tanquam in stabulo quodam, seu hospitali, aut nosocomio, collocantur à Christo domino, vero Samaritano: utq; dum ille ad iudicium reuertatur, redditurus vnicuique secundum opera eius, plus plusq; sanentur, stabulario traduntur percurandi. Atque hinc iustificatorum quidem, perque celestem iustificationis medicinam sanatorum, sed sub depulse ægritudinis reliquijs grauitèr adhuc laborantium hominum, ter miserabiles illas, isto in spiritali nosocomio, seu hospitali, aut stabulo, nusquam non audire semper licet eiulationes: Kyrie eleeson, Christe *psa. 6.*
eleeson, Kyrie eleeson. Miserere mei domine: quoniam infirmus sum. Sana me domine, & sanabor. Ego dixi, Domine *1. re. 17.*
miserere mei: sana animam meam, quia
M iij pec-

*Ps. 16.
40. 118*

peccaui tibi. Adiutor meus esto: ne derelinquas me. Dirige in conspectu tuo viam meam. Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui. Vtina dirigantur vię meę ad custodiendas iustificationes tuas. Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moueantur vestigia mea. Dirige gressus meos secundum eloquium tuum. Quid ita: & quorsum ista, & similis generis sexcenta alia, sic replicantur ab eis? Nimirum verissimum esse sentiunt, quod ait propheta, Non est

Jer. 10.

hominis, via eius; nec viri, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Hinc ergo miserabiles

*Aug. de
pec. mer.
& remis.
l. 2. c. 17.*

illae omnes ciuationes, vota & implorationes. Haud ferè aliter, quam si vnus alicuius Ieremiae, aut alterius Davidis ore, hinc aut simile in modum, queritarètur simul, & queritarètur omnes: Cõualuim⁹ quidẽ domine, sed sic cõualuimus, sicq; iustificationis tuę pharmaco sumus sanati: ut interim, quemadmodum oportet, perambulare in viam mandatorum tuorum, misericors deus, nequeamus; nisi qui hoc iubes, qui que agrotos gratis sanasti, ipsemet vacillantes alioqui, nimiumque titubantes & casitantes, specialis tui auxiliij velut furcis quibusdam, & scipionibus, brachij sue misericorditer subie-

subiectis, piè nos præterea sustententes, ac
 suuētatos deducere digneris. Quæ est ista, *Cane 8.*
 sancta nempe iustificatorum ecclesia (ait
 Salomon) quæ ascēdit de deserto, delitijs
 affluēs, innixa super dilectū suū? Vt iumē- *Psal. 72.*
 tū factus sum apud te: & ego sēper tecū.
 Tenuisti manū dexterā meā, & in volun-
 tate tua deduxisti me. Namque Luteranis
 quidē nūc nostris, quos in admirabili iu- *Incid. ns*
 stificationis, salutisque humane negotio, *antidotū*
 omnē magister eorū semel abnegare do- *cont. Lu-*
 cuit liberi arbitrij actiuitatem, nihil illius- *teranis-*
 modi suffragari scripturas sanctas, vel ex *mum.*
 vnico abundè potest constare prouerbio
 Salomonis: Stultitia gaudiū stulto: & vir *Prov. 15.*
 prudēs dirigit gressus suos. Ea siquidem,
 quemadmodum post veteres, rectè ob-
 seruauit alicubi Dionys. Carthus. diuina- *D. Car-*
 rum literarum est consuetudo; vt quādo *th inc. 5*
 aliquid fit à duobus, notabiliter in digni- *act.*
 tate, seu qualitate distinctis, à maiori tan-
 tum factum dicatur. Scilicet sic meliùs,
 ad præsens quod attinet institutum, no-
 bis nostra, propter quos omnia scripta
 sunt, contra superbiam in primis neces-
 saria conseruatur humilitas, & dei magis,
 ad ipsius gloriam, in omnibus celebratur
 poten-

potētia, & gratia. Respice Deut. 8. & Iud.
7. I. reg. c. 17. & 21. Hinc illud Davidis de
Israëlitis, de que varijs eorum, aduersus
Psal. 43. infideles prælijs: Manus tua (ô deus) gen-
tes disperdidit. Non enim in gladio suo
possederunt terram, & brachium eorum
non saluauit eos: Sed brachium tuum, &
illuminatio vultus tui. Et tamen, vt legi-
Exo. 17. mus alibi, Iosue in gladio suo fugauit A-
malec, & populum eius. Et patriarcha Ia-
cob partem, quam moriturus filio suo
Gen. 48 Ioseph, in terra promissionis, assignatam
voluit honorariam, tulerat antè de ma-
nu Amorrhæi, in gladio, & arcu suo. Sic
Ioseph postea somniorum Pharaonis po-
stulatus interpretationem, Absque me
(aiebat) respondebit deus prospera Pha-
raoni. Id quod Symmachus, vt est apud
Hiero. in Hieronym. more suo apertiùs transtulit:
quæst. Non ego, sed deus respondebit pacem
sup. gen. Pharaoni. Hinc post sexcenta id genus
exempla alia, & illud liberatoris nostri ad
Matth. apostolos suos: Non vos estis qui loqui-
10. mini: sed spiritus patris vestri qui loqui-
Act. 4. tur in vobis: quamuis, vt acta testantur,
verbum dei loquenti fuerint cum fiducia.
Non est igitur viri, (nequis hîc auditor
nobis

nobis catholicus cum Luteristis quicquã
 erret hæreticis) vt ambulet & dirigat gres-
 sus suos: si sibi, viriculisque suis debilibus
 relinquatur solus. Va soli: quia cum ce-
 ciderit, non habebit subleuantem se. Nũ-
 quid enim de corporibus domino deo
 nostro est cura: & non magis de ruinis,
 aut gressibus, ac statu animarum: ne illæ
 simul cum corporibus nobis aliquando
 percant in gehenna ignis? Dirigit nihi-
 lominus vir prudēs & iustus gressus suos,
 & sine iniquitate viam decurrit manda-
 torum dei. si deus, vt causa principalis,
 speciale eius intendat in adiutorium. De
 qua quidem principali causã illud etiam
 apostoli, ante annos mille ducētos, intel-
 lexit Gregorius cognomēto theologus:
 Non est volentis neque currentis, sed
 miserentis dei. Nec in enchiridio sensum
 talem Aug. negavit vnquam, aut impro-
 bavit. Potēstq; eandem ad causam referri
 principalem illud quoque Mosis quod
 communiter, in communi legimus ver-
 sione, Manus solius domini, & bellũ do-
 mini, erit contra Amalec, à generatione
 in generationem. Exod. 17. Quandoqui-
 dem eodem in loco, eũdem verbis aper-
 tissi-

Eccles. 4

Rom. 9.
Greg. in
c. 19.
Matth.

tissimis scribatur istum Amalec fugasse Iosue in ore gladij. Certè deut. cap. 20. secundum versionem communem, his verbis scriptū legimus, Appropinquante iam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: nō pertimescat cor vestrū. Nolite metuere, nolite cedere: nec formidetis eos. Quia dominus deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Sed quod in communi sic extat versione, illud trecētis antè annis, quàm saluator noster Christus veniret in mundum, hunc in modum græcè exposuerant interpretes septuaginta duo, omnes Hebræi: ὅτι ὁ κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν, ὁ προπορευόμενος μετ' ὑμῶν, συνεκπολεμήσει ὑμῖν τὰς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ διασώσει ὑμᾶς. Id est. Quoniam dominus deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, & saluabit vos. Quam quidē græcanicam tot simul Hebræorum tam vnanimē expendēs trālationem b. Aug. Ecce ait quemadmodum & in spiritualibus conflictibus, per quos ad

August.
quest. 30
super
deut.

ad terram utique grassamur viuentium,
 promissam Abrahæ & semini eius in cæ-
 lis, sperandum, & petendum sit nobis
 adiutorium dei: non ut nos nihil facia-
 mus, sed ut adiuti cooperemur. Sic enim
 ait, Debellabit vobiscum, ut & ipsos actu-
 ros, quod agendum esset, ostenderet.
 Consistit porrò speciale istud auxiliū dei,
 varijs in rebus; sed ita, ut illi qui præstat,
 quàm nobis, quibus præstat, sint no-
 tiores. Partim tamen in eo cernitur, quòd
 quam semel nobis deus opt. max. per cæ-
 lestem regenerationem infudit iustitiam,
 eam ne perpetuo concupiscētix, quæ est
 in membris nostris, ardore aliquādo cō-
 sumatur, perpetua quasi affusione qua-
 dam fouere, ac cōseruare dignetur. Aug.
 Enchir, cap. 106. Vnde sanctū in ecclesia-
 sticæ militiæ ius semel authorisari quos
 cōtigit, nullo nō illi die, ad horā semper
 tertiā, pro se totisq; pro populi castris hāc
 debent eiaculari precē: Nūc sancte nobis
 spiritus dignare prōptus ingeri nostro re-
 fusus pectori. Precantur autem istud,
 etiamsi propter iustificationis donum
 iam olim diffusus sit in cordibus eo-
 rum spiritus sanctus, tanto semper ve-
 hemen-

Celest.
epist. ca.
 6.

hementiùs, quanto de perseuerantiã virtute se magis sentiunt esse sollicitos, quãtòque munus vt illud suppliciter emeri valeant, enixiùs imbecillitatem suã cupiunt adiuuari à deo. Partim & in eo spectatur, quòd tartareos spiritus, iuratissimos illos salutis nostrę inimicos, omnipotenti deus virtute sua compescat: vt non quantum possunt & volunt, imbecillitatem nostram diuexare semper sinãtur. Alioqui nulla nobis vnquam pax esset, induciã nullã. Corpus illi nostrum, quantumlibet iustificatorũ, ad cõgruentem semper aliquam diuersorum scelerũ dispositionẽ varijs (vt optimẽ nouerunt) alterarent modis: vñque imaginationis foedissimis quibusque malarum phantasiarum spectris indefinenter nobis perturbatam præstarent. Huc illæ ecclesiasticæ benè timoratorum hominũ spectant preces: Vigila super nos æterne saluator, ne nos apprehendat callidus tentator: Quia tu nobis factus es sempiternus adiutor. Item, Procùl recedant somnia, & noctium phantasmata; hostẽmque nostrum comprime, ne polluantur corpora. Custodi nos domine, vt pupillã oculi tui.

tui. Partim etiam in eo apparet, quod cohibitis immundorum spirituum machinamentis, ipse ministerio sanctorum angelorum, pijs mentibus nostris suggerat cogitationes, perq; illas corda nostra ad celestia desideria erigat. Quò facit illud completori; Visita quęsumus domine habitationem istam: angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant. Prodit se quoque ea in re, quod quando deus opt. max. probationis causa, grauem aliquam contra nos tentationem exoriri permittit, tunc vt non ex illius qui tētat, diaboli dico, voto, in eam inducamur, sicque cadamus, & cadentes pereamus de via iusta, ipse tempore tunc oportuno, donatam antea iustificationis gratiā, congruis, pro grauitate certaminis, incrementis augeat & confirmet: ne tentator praualeat. Fidelis est deus, inquit apostolus, qui nō patietur vos tētari supra id, quod potestis: sed faciet cū tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Meretur siquidem iustificatus homo singulis, quę facit, operibus bonis, vt vitam æternam, sic & augmentum iustitię. Sed enim quemadmodum non continuò post meritū vitę æter-

Bonavēt.
l. 3. dist.
30.
quest. 1.

1. Cor.
10.

Tho. 12.
quest.
114 ar.
8. G. Al.
tissiod. li.
3. tract.
8. quest.
3.

æternæ, gloriosa illa confertur corona, sed semper ad mortē vsque differtur: ita & iustitiæ auctarium, vt pro meriti ratione suo reddatur promeritori, in tempus aliquod (ait b. Tho.) solet differri oportunum. Illiusmodi porrò tempus, tunc adesse videtur, quando vehemens aliqua exurgit tētationis procella, & qui ea premitur, quantum potest clamat ad dominum, ne opprimatur: Domine, salua nos, perimus. Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina. Perditio enim nostra: tantummodo in te auxilium nostrum. Postremò vt Adamum, suo modo cū esset immortalis, tamē vt immortaliter viueret, oportuisset præter aliorum ciborum alimenta, sumere quādoque de ligno vitæ, quod erat in medio paradisi, ibi aduersus mortem corporalem, speciale semper quoddam inuēturus præsidium: & sicuti ægrotis, vt conualescant, amara præbetur potio: consimilem in modum nobis nunc, posteaquam iustificati fuerimus, quoniam adhuc remanemus infirmi, idcirco vt vita spiritualis, quam noua dedit natiuitas, queat perpetuari, pro salutari ligno vitæ

ex.

Hebræ. 4.
Et ibidē
Ansel.

Math 8.

Psa. 69.

Os. 13.

existit amarissima mors , & acerbissima passio Christi: per quam deus salutē mūdi operatus est in medio terræ . Déque isto propterea ligno necesse est , vt præter adiumenta alia, frequenter aliquid carpamus. Quod fit, quando nunc sacramentaliter, nunc spiritualiter , semper autem deuotè passionibus Christi communicamus. Scilicet vt Elias quondam, in fortitudine panis subcineritij , per quadraginta dies ambulauit & noctes , quo ita peruenire valeret ad montem dei Oreb: confimilem in modum , vt nos per hoc nunc vniuersum pœnitentię nostrę tempus , cuius in quadragenario numero symbolum est, sine vllō mortali lapsu in via benè ambulemus mandatorum dei, sicque ambulantes, ad patriam pertingere possimus cœlestem, pro perpetuo nobis diuina bonitas parauit viatico subcineritium dominicę passionis , & mortis sacramentum. Nisi manducaueritis (ait Samaritanus noster) carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: subaudi, permanentem. Quid, inquit b. Cyrillus , Christus pollicetur? Quid credētibus adfert? Corrupti-

3 reg. 19

Ioan. 6.

Cyril. l. 2.
3 in Ioā-
nem cap. 37.

N rupti-

ruptibile certè nihil: sed benedictionem, quam communicatione corporis & sanguinis eius assequimur. Viuificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem suam nos participatione reducit. Quã ob rem sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rariùs in ecclesiam proficiantur, & longo tēporum spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab aeterna semetipsos vita procul depellere. Sic ille. Dixi sēpius (subijcit d. Bernardus) nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto. Vnde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus. Lauari quidē citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lauamur in baptismo: sed curatio paulatim succedit ex sacramento corporis & sanguinis domini. Duo enim sacramentū illud operatur in nobis: vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino cōsensum. Si quis vestrum fratres nō tam sēpè modò, non tã acerbos sentit iracundiæ motus,

*Pern. ser.
de cena
domini.*

tus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorū huiusmodi : gratias agat corpori & sanguini domini. Quoniam virtus sacramēti operatur in eo. Hinc quodcūque tempore missæ, alterum nunc istud lignū vitæ, alterūque panem subcineritiū in hospitali, quod est ecclesia, fideles iustificati, sed adhuc ægri, & adhuc languentes, ostendi sibi conspiciunt, audi quid præ magno auxilij specialis desiderio, vociferari mox omnes incipiant: O salutaris hostia: quæ cæli pandis ostium, bella premunt hostilia; da robur, fer auxilium. Audi quid, instante sacrificij articulo, tacitè pro se, totoque pro populo, precentur sacerdotes, tua nos domine sacramenta custodiant: & contra diabolicos semper tueantur incurfus. Parasti in conspectu meo mensam, canit propheta regius. Tanquam leones igitur ignem spirantes, succinit pater optimus s. Ioannes Chrysostronus, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles. Habetis igitur breuiter declaratum, quomodo qui semel per gratiā dei iustificati sunt, omnia implere mandata dei, & in accepta perseverare iustitia non possint, nisi speciale præterea eius,

N ij qui

*Secreta
dominica
15. post
pentec.*

Psal. 22.

*Hom 61
ad An-
tiochen.*

qui iustificauit, præstò sit auxilium. Videtis itè indicatum vtcunque, quibusin rebus auxilium istud cõsiderare liceat. De ista porrò specialis auxiliij dei gratia intelligendum esse arbitramur, quòd s. synodus Trident. dum in spiritu sancto congregata, contra impurum acediẽ spiritũ, iustificatos animare, & ad gnauiter in via iustitiẽ progrediendum excitare stude- ret, hanc tunc instituti sui ediderit ratio- nem: Deus namque sua gratia semel iusti- ficatos non deserit, nisi ab eis prius defe- ratur: ac si alijs verbis apertius scriptum foret: Nõ possunt quidem iustificati qui sunt, in percepta perseuerare iustitia, om- niãque implere mandata dei, si præstò nõ adfuerit illius, qui iustificauit, speciale auxilium. Verùm neminis ea res, ad strenuè operandum, perseuerãdumque, impetum retundere, aut verò retardare quicquam debet. Namque auxilium hoc ille suum iustificatis fidelibus nunquam subducit, si non prius ab eis fastosè fuerit reiectum. Quod verò sic de mente œcu- menici concilij arbitramur, id quàm nõ incommodè faciamus, ipso ex d. August. cuius verbis s. synodus sententiam suam

con:

concepit, liquere potest. Doctrina sancti Augustini sic habet: Deus cū per mediatorem dei & hominum, hominem Iesum Christum, spiritualiter sanat ægrum, vel viuificat mortuum, id est, iustificat impium, & cū ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, iustitiāque perduxerit; non deserit, si non deseratur. Sequitur comparatio rem illustrās: Sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere. Idem de gratia & lib. arb. cap. 6. Necessarium est homini, vt gratia dei non solū iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cū redduntur ei bona promalis: sed etiam, cū fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam, ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cant. Cant. ca. 8. de ipsa ecclesia: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, incumbens super fratrualem suum. Dealbata est enim, quæ per seipsam alba esse non posset. Et à quo dealbata est, nisi ab illo, qui per prophetam dicit? Si *Esaia 1.*

Denat. 7
Et grat.
c. 26.

N iij

fue-

fuerint peccata vestra vt phœnicium, sicut niuem dealbabo. Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur. Iam verò alba facta, benè ambulat, sed si super eū, à quo dealbata est, perseueranter incumbat. Imò hūc vt genuinum esse statuamus concilij Tridēt. sensum, ipsa (vt arbitror) flagitat scriptura s. ex qua venerabilis pater August. suam, quam nunc tractamus, desumpsisse videtur sententiam. Sanè lib. 2. paralip. ca. 15. spiritu sancto instinctus, hūc in modum loquitur propheta Azarias: Audite me Afa, & omnis domus Iuda, & Benianin. Dominus vobiscum: quia fuistis cum eo. Si quæseritis eum, inuenietis. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Fuerant autem illi cum domino, & quæsiuerāt eum, quatenus, vt contra immensam ethiopum vim paucis dignaretur auxiliari copiolis Iudæorum, summa ipsum cum animorum deuotione inuocauerāt: quemadmodum legitur cap. antecedente, Inuocauit Afa dominū deū, & ait: Domine non est apud te vlla distantia, vtrū in paucis auxiliaris, an in pluribus. Adiuua nos domine Deus noster. Namque talem talis adiutorij per
in-

inuocationē, exterruit mox deus æthiopes coram Aſa & Iuda: & læta fuit ſubſequuta victoria. Quæ cū ita ſe habeant, ſequitur vt & nos, poſtquam iuſtificati fuerimus, tunc cum domino deo eſſe cēſendi veniamus, idque iuxta ſanctam ſcripturam, iuxtaque ſacri concilij Trident. doctrinam, quando ea, qua par eſt, ipſum cum deuotione, contra carnem, mundū, & diabolū inuocamus: Eundem tum demum deſerere exiſtimandi ſimus, ſi ſerium, ſi quotidianum, ſi benè deuotum remittamus, aut omittamus ſtudium inuocationis: vel ſic eum inuocare incipiamus, & ſic inuocantes perſeueremus, vt meritò de nobis, noſtraq; de inuocatione dici poſſit illud prophetæ, Populus *Eſa. 29.* hic labijs me honorat: cor autem eorum *Math. 15.* longè eſt à me, verbi cauſa; Erit alicubi ineptus aliquis clericus, aut vicarius, nec diſſimilis ſacerdos, aut ſacerdotū etiam (ne me ipſe videar iuſtificare velle) præpoſitus, qui pro ſe, & pro populo dum centies penè vno clamabit die, Dominus vobiscum: & cum ſpiritu tuo. Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me feſtina. Sancta Maria, &

N iij omnes

omnes sancti, intercedant pro nobis ad dominū: vt nos mercamur ab eo adiuuari & saluari, qui viuit & regnat in secula seculorū. Kyrie eleeson, Kyrie eleesō &c. Diuinum auxilium maneat semper nobiscum: sic ista clamabit & dicet, vt si quæ dicit, ea non nisi technicè, siue materialiter accipi deberent omnia. Nimirū has, & similis generis inuocatorias voces alias multas, dum toties ore ingeminat die vno: interim vix multis mensibus, & fortè ne vix quidem, mēte sicut oportet, semel considerat, quid sit illud, quid, quātū, qualiter significet, quémue cordis requirat affectum, quod lingua celerrimè voluit & reuoluit, inuoluit, & cōuoluit. Sic quippe dum agitur fratres, & sic deum quando inuocamus, sic quando sacrificamus, esto simus adhuc & maneamus, si placet, in statu gratiæ, maneamus adhuc cum deo iusti fortassè, tanquam cum iustificante: certè non manemus cum eo, vt verè infirmi, multūque periclitantes, tanquam cum speciali auxiliatore nostro, & specialiter nos adiuuāte. Quin magis, quam gratuito eius munere & concessu adepti sumus, & adhuc fortassè
obtinē-

obtinemus virtutē, in ea cum pharisæo, cum angelo Laodicensi, & cum rege Davide, tacitam quandam per philautiam, confidere, & in multitudine scilicet spiritualium diuitiarum nostrarum implicitè gloriari incipimus verè quidem infirmi multumque egeni, sed quasi saturi tamē, quasi que robustiores, quàm quibus vltèriùs ad bonæ vitæ continuationem speciali aliquo dei præsidio magnopere foret opus. Sic, inquam fratres, quando agimus incipimus implicitè cum filio prodigo argumentari, satis nos per ea, quæ à patre nostro cælesti prærogata tenemus, siue gratiæ, siue naturæ talenta, adultos, fortes, & prudentes euasissè, vt in via salutis gressus nostros nosmetipsi regamus ac dirigamus. Incipimus, cum propheta regio, præteritas nobiscum reputare & supputare victorias, & copias exercitus nostri velle numerari: istaque in imaginaria abundantia nostra tandem cum eodem dicere: Non mouebimur in æternum. Quid multa? Sic quando agitur, fratres, incipimus, cum principe Apostolorum Petro tacitè intra nos iactare: Et si om-

Luc. 18.

Apo. 3.

Luc. 15.

2. Reg.

24.

Psal. 29.

Math. 26 si omnes, bone Iesu, scandalizati fuerint: at ego non scandalizabor. Quin citius animam meam ponam pro te: etiam neque vigilauero, neque orauero, nec orando speciale diuinæ potentiæ implorauero auxilium. Hæc autem dum ita geritur in occulto: si necdum adest, succedit tandem occultæ pes superbiæ: in quo (vt *Psa. 35.* expertus loquitur David) ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem: impleturque scriptura, quæ dicit, Initium superbiæ hominis, apostatare à deo. Etenim verissimus dei omnipotentis existit apostata, magnusque desertor, quisquis etsi necdum *Aug. epi. 106. Conc. Araus. cas. 19.* iustificantem fortasse, attamen auxiliantem relinquere sustinet illum, sine quo nec angeli, quondam fani & sancti, nunc infani, furiosi, immundi, & apostatici spiritus, principatum suum tueri ac retinere potuerunt. Apostasia autem sic ab homine perpetrata philauto; quandoquidem superbis deus resistit, nec nisi humilibus dat gratiam; tum demum desertori suo & ipse indebitam specialis sui auxiliij subducit gratiam, cumque relinquit sibi, quamuis adhuc fortassis iusto. Quod quidem simulatque Zara æthiops, & exercitus eius,
hoc

hoc est, niger diabolus, cum nigris suis ca-
 codæmonibus, rescire potuerint, acriori
 quopiam mox prælio desertoris castrum
 oppugnare aggrediuntur. Et quia iam
 nō adest amplius, qui specialiter adiuuet,
 deus; non difficulter potiuntur victoria,
 si non prima, at altera, aut aliqua deinde
 alia coitione. Nam quòd illas, quas dixi-
 mus, inuocatorias, sic vt proposuimus, si-
 bi opponi fortasse audiant preces, nil cu-
 rant, aut reformidant; cūm sciant scriptū
 extare: Cūm multiplicaueritis preces, nō
 exaudiam. Itaque fit ruina magna. Nam
 qui antea confidens in domino, per bo-
 na bonorum operum merita, veluti per
 gradus quosdam, in sublime spe sancta
 ascenderat cælum, iam mortalis peccati
 reatu grauatus, in profundum præcipita-
 tur inferni, ipse frequenter ruinam suam
 non sentiens. O tristissimam catastro-
 phen. Vidi (ait doctor quidam egregius)
 hominem sine comparatione ferè sui tē-
 poris humilem, feruidū caritate, egenis
 beneficum, sobrium supra modum, erga
 afflictos piū, in corporis castigatione
 precipuè assiduum, ab omnibus conta-
 gionum spurcitijs alienum. Et hæc de
 gra-

*Hier. l. 3
 cont. Pe-
 lagian.*

Esa. 1.

*Thom.
 Cantip.
 de bono
 vniuersa
 li 1. ca.
 32. part.*

3.

gratuitis dei donis in eum collatis dixerim. In naturalibus verò ita erat benè & decēter ornatus, vt nihil in eo imperfectū reliquissē omnipotēs bonitas putaretur. Pro celebri ergo sanctimonia ab omnibus honoratus, quasi sanctus iā in terra adhuc inter homines habebatur : ita vt de eo maximum quendā virum dicētem audirem, Quandoquēque istum me videre contingit, non hominem sed angelum me videre puto. Hūc tamē eundē postea gradatim à rigore iustitiæ vidimus recedentem, & tantam erga deū ingratiudinem incurrisse, vt missarum solemnias audire contemneret, & nullum in eo virtutis vestigium remaneret, sed omni labe pollutus, nullā prorsus luxuriā, nullum facinus abhorreret. Vnde hoc nisi quia cœperat tādē vir bonus, nimium securus, quasi que tutus, confidere in virtute quasi sua, quam tamen ex diuino gratuita iustificationis munere acceperat. Cœperat inquam deum deserere, quatenus, tanquam verè infirmus, non permanebat cum eo per assiduam, benèque deuotam inuocationem, tanquam cum speciali & necessario ad perseuerandum auxi-

auxliatore. Subdit enim idem autor; Et hoc, inquiens, quia alas virtutis gratuita vel naturalis, orationibus & lachrymis insistendo, quibus speciale sibi diuinæ bonitatis continuaret auxilium, protegere non perrexit. O miserabilem casum. Nihilominus quando adhuc durant lætissima festa paschalia; quod initio dixi, & vndè exorsus sum, repeto hîc iam iucundissimum illud paschale celeuma: Hæc dies, quam fecit dominus; exultemus & lætemur in ea. Etenim quos semel iustificare, pèrque iustificationis donum, paschali transitu, de statu iræ, ad statum gratiæ, traducere dignatus fuerit misericors deus, possunt illi ex eo, quod iam acceperunt, facere quodammodo, vt illiusmodi miserabilis ruina nūquam eis existat. Scitum illud s. Bern. ad Robertum nepotem suū, Potes facere vt possis. Namq; optimus deus cū sit: impossibilia nō præcipit; sed iubēdo monet & facere quod possis, & petere quod nō possis: & adiuuat, vt possis. Quæ piētissima s. Aug. verba consecrauit s. synodus Trident. Possunt autem iustificati qui sunt, per fidem deinde, spem, & cari-

Bern. epi.
1. Caiet.
in 1. 2.
quæst.
109.
art. 10.
Aug. de
nat. &
grat. c.
43.
Sess. 6. c.
11.
Ruard.
art. 7.

cari-

caritatem, quæ prætióssima dona iam tenent accepta, vigilare & orare, ne inducantur in tentationem. Quod quidem si vt possunt, ita & faciant; aderit eis, procul dubio, speciale auxilium dei. Fiet sermo qui scriptus est, quémque sancta mater nostra ecclesia valdè de salutis nostræ negotio semper sollicita, quotidie in completorio occinere nobis non cessat. Tu

Iere. 14. autem in nobis es domine, subaudi cum Dionysio Carthuf. per gratiam tuam iustificantem, nobisque inhaerentem. Et nomen sanctum tuum inuocatum est super nos: vt ad perseverandum speciale tuum insuper obtineamus nobis auxilium. Ne derelinquas nos domine, deus noster, necessarium illud auxilium nobis subtrahendo. Iam verò si omnipotens ille deus, qui fecit cælum & terram, fuerit pro nobis, & quidem specialiter adiuuans: ecquis tandem (amabo) Zara æthiops, quis niger diabolus, aut cacodæmones nigri, quis draco, aut serpens antiquus, contra nos; quo minus illo sic auxiliante, stemus & perstemus sine ruina? Ipse enim dixit,

Heb. 13. qui fallere, aut mentiri non potest, Non te deseram, neque derelinquam: ita vt cōfiden-

fidēter dicamus: Dominus mihi adiutor,
 nō timebo quid faciat mihi homo. Quid *Esa. 5.*
 est, quod vltra debui facere vineę meę, & *Osc. 13.*
 non feci? Perditio ergo tua, Israël: tātum-
 modo in me auxilium tuum. Nūc sequi-
 tur, vt, quia tempore necdum excludi-
 mur, de speciali dei auxilio hęc omnia
 generatim locuti ad omnes, tria tecum
 eruditiss. d. b. verba commutemus spe-
 cialiter. Tendis enim ad pastorum ca-
 thedralis ecclesię, idque (vt mihi narraſti)
 sub festū pentecostes. Atqui mox post fe-
 stū pentecostes sancta mater nostra eccle-
 sia proponet nobis in diuinis officijs le-
 gendos, & audiendos libros regum. Nul-
 lo ergo equidem homo peccator, hoc
 nūc ex editiori loco, laudationum oleo,
 caput tibi tuum impinguare tētabo; cūm
 scias & gaudeas scriptum esse, Oleū pec- *Arnob. in*
 catoris non impinguet caput meum. Ve- *psa. 140.*
 rūm vt apostoli, postquam in festo Pen-
 tecostes spiritum sanctū acceperunt, mox
 profecti fuerunt ad gentes, ibique dū pa-
 storale fideliter studerent obire munus,
 quō ita promissio olim de gentibus fa-
 cta Abrahę, impleretur in eis; bella tunc
 multa, & horrida bella, in libris regum
 præ-

prefigurata, contra ipsos exorta fuerunt: cōsimilem in modum equidem prædico nunc tibi, & prædico futurum, vt quādo in pastoratu eris, quanto spiritu s. fueris ardentior, quantōque fidelius officium præstare studueris, tanto plures & grauioresexperiaris difficultates, tribulationes, & persecutiones. Longè namq; abest, vt Augiæ stabulum nulla non sua parte, & purgatum satis esse, & perpurgatum, existimare debeas. Atque illud quidem non ita palàm nunc denunciare auderem, si nō & iacula (quod dici solet) præuisa minus ferirēt, & te talem esse pastorem sperarem, qui quod apostolus Paulus tunc dixisse scribitur, quando vincula, & tribulationes Ierosolymis sibi imminere præuidebat, id ipsum in te quoque, per gratiã dei sentires responsum prorsus heroicū,

Act. 20. Nō facio animam meam pretiosorem, quàm me: dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi. Vexabunt te igitur æthiopes interdum, principes illi tenebrarum, qui operantur in filijs diffidentix. Vexabunt te (inquam) nunc per hæreticos, nunc per falsos catholicos, nunc aperto Marte,
nunc

nunc Marte occulto, idq; sub fallaci nō-
nunquam specie pietatis, & caritatis. Sed
enim quod olim dominus dixit Iosue, ^{Cap. I.}
idem ab eodem tu tibi quoque dictum
esse puta. Cōfortare, & esto robustus. Nō
dimittam, nec derelinquā te. Esto igitur,
exēplo regis Asæ, semper cum domino,
per deuotam semper inuocationem: vt
ille vicissim dignetur semper esse tecum
per specialem suam auxiliatiōē. Quod
quidē si ita fiat, omnia poteris in eo, qui
te confortabit. Multæ per anni circulum
occurrunt vigilię. Tu saltem interdum,
ieiunasse non cōtentus cum vulgo, in se-
cretis pernocta orationibus, pro te & po-
pulo tuo, memor Mosis, memor Christi
domini, memor antiquorum ecclesię
pastorum. Nec dubita, quin plus orando,
quā prędicando, & aliter operando, sis
pręstiturus. Si aliquando (vt fit) intestina
aliqua contra te oborta fuerit seditio, &
intus tumultuantibus humanis passio-
nibus, tædio tandem affectus, cœperis
dicere in corde tuo: O generatio incre-
dula, praua, adultera; Quò vsque ero vo-
biscum: Vsque quo patiar vos? Quin me
potiùs ad aliquam aliam confero gētem;
O vbi

vbi plus agam? prosterne te per terram,
 & procide in faciem tuam, cum Chri-
 sto tuo, agonizante pro te (vt nosti) & san-
 guinem in angustijs suis sudante in hor-
 to. Ora cum eo patrem caelestem per
 horam, & orando esto cum illo. Si
 consolatio non succedat: ora prolixius.
 Quod si nec tunc recreari te senseris, a-
 gendum: ora tertium, & aderit angelus
 de celo, confortans te. Vt valentior sis
 in spiritualibus, quae pastoribus sunt pro-
 pria, & ex his, ea quae debes magnis iuxta
 & paruis, benignius persoluas omnia
 omnibus: distrahe te, exemplo Christi
 & eius apostolorum, quam potes lon-
 gissime, a negotijs semper secularibus.
 Mensulae tuae benignitatem sentiant fre-
 quenter peregrini & pauperes, qui paruo
 contenti, pro paruo non paruas, sed ma-
 gnas & veras, deo & hominibus habent
 & agunt gratias; & in caelo vt deus ipse
 optimus maximus liberalissimè referat,
 egregie procurant. Memor illius quod
 scriptum est, Noli esse in conuiujs pota-
 torum, nec in comestationibus eorum,
 qui carnes ad vescendum conferunt, a-
 liorum tu conuiuia, vt soles, diligenter
 deui-

Luc. 12.

Ioan. 6.

Act. 6.

Luc. 14.

Prov. 23

idv

deuita, & deuitare semper perge. Quod
namque sacris in concionibus agit spi-
ritus sanctus, vt dum per zelosam verbi
dei prædicationem epulo cœlesti, pastor
bonus reficit, & recreat gregem, popu-
lum tunc ipse ad boni pastoris sanctam
excitet imitationem: id è diuerso carna-
libus in conuiujs, symposijs, atque banc-
quetis totum vt impediatur, infidiosè agit
spiritus contrarius. Nempe pastorem ibi
potiùs trahere molitur ad similitudinem
populi: & quod agit, quòdque moli-
tur, id in multis (vt videmus) prò dolor,
non sine graui ecclesiæ lue, etiam pera-
git. Omnibus in actionibus, & passio-
nibus tuis, Christum tuum semper tibi
ob oculos habe, & ducem sequere: sicut
stellam magi. At frequentauit, inquit,
conuiuia optimus pastor Iesus Christus,
cuius omnis actio, nostra debet esse in-
structio. Frequentauit utique; sed vt eos,
qui in conuiujs primis amabant accubi-
tus, grauisimis suæ cōuersationis exem-
plis, omnem doceret humilitatem, no-
uissimo semper, eam ob causam, vt no-
uissimus virorum recumbens loco, in *Esa. 53*
angulo quopiam aut post ostium. Quod
O ij qui-

Bonaue-
tura in
vita
Christi.

quidem an tu possis eruditissime dn. candidate, & semper velis, equidem pronunciare non ausim. Ille propter nos factus egenus, domum non habebat, vbi benedictum suum caput reclinaret, nedum mensam aliquam sibi, & pauperibus suis pararet discipulis. Poterat ille inter confertas & dapfiles lances, interque spumantes aliorum calices, ab omni semper abstinere se inepta loquacitate, & verbo otioso, vanaque lætitia, ac tantam præstare sobrietatem: vt vesperi si quando apud lautissimos, sui que amantissimos cœnaret homines: summo postea manè crudos nihilominus esuriret cibos. Poterat illè ea, qua oportebat cum pietate, & religione, inter conuiuandum etiam, instituire & communicare conuiuantibus sacramenta, sicque conuiuas refranare, vt ad communicandum inter epulas non essent inepti. Poterat ille inter conuiuandum publicanos & peccatores conuiuas, ignitis suis sermonibus, repenti à vanitate seculi totos conuertere in amorem dei. Hæc quia neque ego, neque tu possumus; tutius nobis fuerit, reique publicius, si cum Ioanne baptista, paronymo

pho

pho Christi , & eiusdem cum apostolis,
 cū Basilio, Gregorio mag. Chrysofomo,
 graphicis illis, planéque amulsitatis ouil-
 lis Christiani pastoribus, conuiuia, & quæ
 ibi fieri assolent, vaniloquia omnia , &
 ineptas lēticias declinemus . Alioqui si
 pastores , & epulones parochi Christum
 dominum conuiuiorum in vsu, sine vlla
 volunt inepta imitari cacozelia; agedum
 priúsquam cum eo , cūque discipulis
 eius , conuiuales aliorum mensas acce-
 dant , ad tantam semetipsi voluntariam,
 eiusdem magistri exemplo, redigant pau-
 pertatem, vt abdicatis præbendis & deci-
 mis , nec domum, nec mensam vsquam
 habeant propriam. Ita demum , neces-
 sitate quasi compellēte, honesta ratio ap-
 parebit & oratio, cur qui domi non ha-
 beant, nec habere velint, quod edant aut
 bibant; foris apud alios, oblatum gratan-
 titer accipiant. Noli politus esse po-
 liticus, quales superioribus annis , vt ca-
 tholicæ fidei quassaretur religio, à perpo-
 litis, sed Guesiorum fermento affectis &
 infectis catholicis, requirebantur & lau-
 dabantur pastores. Politicus si fueris (cre-
 de mihi) nunquam gregem tibi commif-

O iij

sum

Philip. 3
Coloss. 4

sum efficies cælicum. Atqui hic vnicus
vocationis tuæ est terminus. Illum ergo
finem, vt commodius persequaris, & fœ-
liciter aliquando consequaris; pro politi-
co stude, quàm potes maximè, totum te
semper præstare cælicum: stude vt de cæ-
lestis tuæ conuersationis & scientiæ ple-
nitudine semper aliquid redundet ad o-
ues. Sic cum apparuerit in illa die prin-
ceps pastorum, percipies immarcescibi-
lem æternæ gloriæ coronam. Quod
vt & tibi, & aliquo tenus nobis
quoque contingat omnibus,
faxit ille per gratiam suam,
qui est benedictus in se-
cula deus, Iesus Christus
Amen.

Hæc oratio de speciali dei auxilio pia, grauis, & docta,
dignissima est, quæ in lucem veniat, & ab omnibus
legatur.

Ita censeo Antonius Suius, s. theologiæ doctor.

*Hæc oratio de speciali dei auxilio, pia est ac docta,
nihilque in ea continetur sacrosanctæ fidei ec-
clesiæ catholicæ Romanæ contrarium; Atque
ideo vtiliter excudetur.*

*Ita censeo ego Maximilianus à Capella, s. theo-
logiæ professor Dnaci, in collegio societatis Iesu.*



AD

STVDIOSOS
THEOLOGICÆ PALÆ-
STRAE TYRONES,

*qualiter comparatus esse debeat, qui recte
euangelio studere cupit, oratio paranetica
eodem autore.*



ETVS est prouerbium,
auditores partim theologi
partim philotheologi: Plu-
ribus intentus minor est ad
singula sensus, nec minùs il-
lud verū, quàm vetus; vtpote quod pul-
chrè ipsis cum verissimis congruat spiri-
tus sancti oraculis. Fili mi, dicebat Ecce-
lesiasticus, ne in multis sint actus tui: sed
sapientiam scribe in tempore vacuitatis.
Nam qui minoratur actu, sapiētiam per-
cipiet. Ego verò iam inclinata, sensimq;

*Eccl. 11.
v. 38.*

O iij ma-

105 QVOMODO STVDENDVM
magis ac magis ingrauescente atate, val-
dè mihi mensibus his aliquot superiori-
bus multiplicari meos actus admodum
inuitus, & omnino insolens sensi tamen:
eoque sensi acerbiùs, quòd, vt vnà mecu
nostis plerique, multiplicationis sylua
ab illis excitata mihi & obtrusa foret ho-
minibus, à quibus id minimè omnium
oportuerat, & quidem per scandalosas
nimiùm lites, & confragosos litium pro-
cessus. Hoc porrò strepitu forensi nihil
philologis magis aduersum, nihil diui-
narum literarum scholis, & sancto otio
magis inimicum, nihil theologis magis
potest esse pestiferum. Quam ob rem
cum me, quæ mea magna nimis est infir-
mitas, & imperfectio, ita vt decet viderè
facræ tunc huic cathedræ vacare nõ pos-
se: vehementer optaueram, vt ad maiore
reipub. vtilitatem professionis lampas
cuiquam traderetur alij. Sed quod erat in
votis & consilio, id bona cum catholica
maiestatis gratia consequi nõ licuit. Quo-
niam ergo ad prouinciam redire necesse
fuit, operæpretium fore sum arbitratus, si
priùsqvam secūdã, quam promisimus,
nouæ legis, hoc est, euangelicæ doctrinæ,
in-

interpretationem ordiremur, breuiter in gratiam tyronum exponerem, quid factum sit opus, vt religiosa cum vtilitate euangelio studeatur. Etenim quid tandem (omissis, quæ plurima referri possent, antiquitatis exemplis) quid inquam, nostra profuit ætate Philippo de nigra terra, vel, vt se ille appellari maluit, Philippo melanchthoni, quod, quemadmodum in vita eius notabiliter perscribendum esse putauit Ioachimus Camerarius, ab eo mox tempore, quando artium renunciatus esset magister, semper secum circumferre voluerit euangelium, & semper in sacris aliquid lectitare gauisus fuerit biblijs? Quid profuit homini studiosissimo, tantum quod in sacrarum scripturarum exarferit amorem: vt ne tum quidem à bibliorum suorum sibi temperare potuerit lectione, quando omni alio postposito studio, missa ei de more & consuetudine ecclesiæ religiosè ceteris cum adsistentibus audienda esset? Quid profuit, quod eam à prima deinde adolescentia, ad vltimum vsq; decrepitæ suæ senectutis spiritum, constanter tenuerit consuetudinē, vt semper euangelium haberet ad manum, nec ad vllum

vllum vnquam procederet conuentum, quin sacro bibliorū codice (quem in eū vsum paruum habebat) esset comitatus: Quid inquam profuit tam ardens, tam longum, tamque pertinax studium: posteaquam ex eo nihil homo miserrimus consecutus fuerit aliud, quam quod catholicus qui fuerat ecclesie catholice filius quiq; ex catholicis honeste natus erat parētibus, is ex catholico & orthodoxo, loxodoxus tandem, atq; peruersus fieret, viueret, & moreretur hereticus, mali corui malum ouum, & filius heresiarchæ, Martini Luteri primogenitus; sicque fieret illi mensa diuinarum scripturarum, in qua inexplebiliter tuburcinari semper ac helluari volebat, in laqueum & in retributionē, & in scandalum? Quamobrem has & similis generis hinc scyllas, inde charybdes sempiternæ damnationis cōplures alias, quisquis foeliciter euitare, & ex euangelij studio religiosæ (vt oportet) ac salutaris sibi cupit fructum reportare vtilitatis: consultissimum fuerit, certas quasdam vt meminerit præstandas esse conditiones.

psal. 68.

Prima

Prima conditio.

Adferat ergo ad sacrum istud studiorū
genus animum ante omnia purum à sor-
dibus peccatorum. Hæresis, ait d. Ansel-
mus, non est in anima nisi subdita pecca-
tis. Quia peccata cōmissa sunt causa, cur
deus homines in hæreses aberrare per-
mittat. Nimirum vt speculum nisi benè
tersum & mundum oppositæ sibi faciei
nō benè admittit imaginem speciémue:
sic & mens humana, nisi omnia illi pec-
catorum accuratè deterfa fuerint iniqui-
tamenta, cęlesti euangelicæ doctrinæ lu-
mine, veraque illius intelligentia, benè
radiari non potest. Peccatori dixit deus:
Quare tu enarras iustitias meas, & assu-
mis testamentum meum per os tuum?
Namque in maleuolam animam nō in-
troibit sapientia: nec habitabit in corpo-
re subdito peccatis. Contrà: Beati mundo
corde: quoniam ipsi deum videbūt, olim
quidem sicuti est facie ad faciem: interim
verò in speculo & in ænigmate, quatenus
à viatoribus per fidem in verbo suo, ac sa-
cra in scriptura videri potest. Ideo namq;
(ait apud Cassia. abbas Theodorus) tanta
varietas, errorésque intra diuinarum
scri-

Basi. in
psal. 45.
Ansel. in
4. ca. ad
Ephes.
Cass. spi-
ritual.
inst. l. 5.
c. 33. &
34.

Psal. 49

Sap. 1.

scripturarū tractatores exorti sunt, quòd plerique minimè erga purgationem mētis, adhibita diligentia, proficientes ad interpretandum eas, pro pinguedine vel immunditia cordis sui diuersa atque cōtraria vel fidei, vel sibi met sentientes, veritatis lumen cōprehēdere nequiuert.

Secunda conditio.

Adferat secundo loco profundā quādam humilitatem, per quam fiat, vt non nimium priuato atque fallaci innitatur, vel confidat sensui suo: sed cōmune semper ecclesiæ catholicæ, & doctorum eius quorum iam olim publico consensu est constituta authoritas, auscultet sequaturque iudicium. Scilicet vt non humana aliquando voluntate allatum est euangelium, & reliqua scriptura sancta: sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines, siue prophetæ, siue apostoli, siue euangelistæ: ita nec interpretatio illiusmodi scripturæ, germana quidem & vera, aliundè quàm à spiritu sancto haberi potest. Scitū est illud: Non alterius, sed eiusdem est, & cōdere legem, & legē interpretari. Spiritum porrò sanctum, certissimū est, esse in ecclesia, eamq;

cum

Exemplo
s. Bernar.
in vita
eius. l. 1.
c. 4.

Exech.
33.

2. Pet. 1.

EVANGELIO. 110

cum doctoribus suis, quales quidem indicauimus, omnem ab eo doceri veritatē. Incertum verò istud cuique de se homini priuato. Hinc illud Paulinū, Dedit Christus quosdam quidem apostolos, quosdā autem prophetas: alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorū: donec occurramus omnes in vnitatem fidei: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrine in nequitia hominum, in astutia ad circūuentionem erroris. Pertinetq; eodē illud ipsius primarij euangelistę Iesu Christi. Confiteor tibi pater, domine cęli & terrę; quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, & reuelasti ea paruulis: id est, humilibus. Quāquam nil noui, hac quidem in re, dixerit hoc loco saluator noster: quin potiùs orationem suam accommodauerit ad veteris instrumenti sermonem. Declaratio, domine deus, sermonum tuorum illuminat: & intellectū dat paruulis. Testimoniū domini fidele: sed sapientiam præstat paruulis. Et antè figuratè quidem: sed quanto figuratiùs, tanto gratiùs, beatissimus propheta
Moses,

Ephes. 4.

Matt. 13

Ps. 118.

III QVOMODO STVDENDVM

Deut. 33
Euc. 10.

Moses, Qui appropinquant pedibus domini, accipient de doctrina illius. Succurrat hîc, quemadmodum beata Maria Magdalena, quò de perēni cœlestis sapiētiæ fonte haurire liceret altiùs, ad pedes docentis domini & magistri nostri, Iesu Christi, humillimè subsidere solita fuerit. Nam vt sapientissimè, nec minùs vtiliter contra tumidam, sed inanem hæreticorū scripsit superbiam diuus Gregorius, humilitas plerumq; ea etiam electorū sensibus aperit, quæ ad intelligendum impossibilia esse videbantur.

Greg. li.
20. mor.
c. 10 ad
illud:

Egestate
& fame
Steriles,
Iob c. 30

Tertia conditio.

Cass.
coll. 3. c.
15.

Adferat tertio loco frequentem, & benè deuotam orationem, qua humiliter spiritus sancti concilet sibi fauorē: quādo nisi ille aspirauerit, intelligere, vt oportet, euāgeliū aliāme vllā sacre scripturæ partem nullo modo valeamus. Hoc siquidē illud est, quod ipsis in euangelicis literis scriptum legimus, Ne vocemini magistri; quia magister vester vnus est, Christus; talis videlicet, qui per afflantem spiritum sanctum vnus docet omnes, quicumque de sancta scriptura vtiliter aliquid discūt, iuxta illud Ioānis, Vnctio eius docet vos de

Math. 23

1. Ioan. 2

de omnibus: quòdque tãto ante de noui
testamēti filijs prophetauerat Ieremias. *Iere. 31.*

Erunt omnes docibiles dei, id est, theodi-
dacti, siue docti à deo. Quò colligans
postea d. Iacobus, Si quis vestrum ait, in- *Iac. 1.*

diget sapientia; postulet à Deo, qui dat
omnibus affluenter. Nec aliter antea Sa- *Sap. 3.*

piens. Vt sciui quòd aliter continens esse
non possem sapientię: siue quòd aliter sa-

pientiam studiorum meorum venatio-

nibus assequi, ac obtinere non possem,

nisi deus daret (& hoc ipsum erat summa
sapientia, scire cuius esset hoc donum) adij

dominũ, & deprecatus sum illum, & dixi
ex totis p̄cordijs meis, Deus patrũ meo- *Sap. 9.*

rum, & domine misericordię, da mihi se-

dium tuarum alsitricem sapientiam. Et

quis nescit quã indocti, & omnino rudes,

permanerint semper apostoli, quamdiu

quidem cum Christo conuersabantur in

terra, quantumuis multa tali à magistro,

nunc palàm & in tectis, nunc priuatim &

familiariter, quasiq; in aurem de diuinis

mysterijs, eorũque de sapientia sibi dici

audirent? Quare hoc? Propter defectum *Ioan. 16.*

frequentis & deuotę orationis. Hactenus
non petistis quicquam in nomine meo,
dicebat

113 QVOMODO STVDENDVM
dicebat illis dominus sub nouissimam
coenam. Petite; & accipietis. Petere cœpe-
runt post magistri ascensionem in cælū.
Perseuerantes porrò in pijs istis orationi-
bus suis vnanimiter ad festum vsque pen-
tecostes, quis iam iterum nescit, quàm re-
pentè, quàm admirabili scientiæ dono,
veluti torrente quodam, perfusi fuerint
omnes? Erant verò, quod singularè quã-
dam meretur animaduersionē, perseue-
râtes in orationibus suis cum beata Ma-
ria, matre domini: qui eo, quo nunc indi-
cauimus modo, & ratione vnus est ma-
gister omnium.

Quarta conditio.

Quãobrem quisquis in sacra scriptura,
benè fructuosū sibi studiorū suorū labo-
rem, ac salutarē experiri desiderat, memi-
nerit quarto loco, vt in orationibus suis,
frequentibus illis & deuotis, aduocatam
sibi libenter adiungat, eandem illam glo-
riofam virginem, dei genitricem, post no-
tissimam, quam nunc attigimus, aposto-
lorum historiam, animatus insuper me-
morabili exemplo Ruperti, abbatis Tui-
tensis. Ille namque cū initio studiorū
suorum, admodum tardo valdèque ha-
beti

*Tritem.
in li de
monaste.
Hirsau-
giens.*

beti semper esset ingenio, eam nihilominus instantissimis ad virginem matrem precibus, diuinitus obtinuit postea, ingenij facultatem & acumen: vt omnium sui sæculi theologorum euaserit facile princeps. Idem omnino accidit quoq; Alberto Magno, Episcopo Ratisbonnensi: vt est apud Antonium Flamin. Ceterum vt preces suas, siue illas ad deum, siue ad matrem eius, virginem Mariam directas, efficiat acceptabiliores, quasiq; thure quodam spirituali, suauius eas inodoret: det pro qualicunq; modo, vel modulo rerum, vel reularum suarum, operam operibus misericordiae. Quo modo potuerit, ita sit misericors. Si multum illi fuerit: abundanter tribuat: si exiguum illi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri studeat. Alioqui qui in minimo, & in mammona iniquo, fidelis nõ est, nec tribuit inde necessitatem patienti atque petenti, quod maius est, & verũ, quis quantumlibet petenti credet ei? Quod si forte bono philotheologo nostro de iniquo mammona nihil supersit amplius, sed omnib⁹ (quod aiũt) facultatibus indutus, cætera ex euagelicæ doctrine

P con-

215 QVOMODO STVDENDVM
consilio cum mundi magistris , aposto-
lis reliquerit omnia: iam quod in diuina-
rum literarum monumentis intelligere
donatum sibi animaduertit, de illo saltē,
velut de meliori quodam thesauro, igno-
rantibus lubenter, qua nouit & valet ra-
tione, cōmunicet quod habet. Sic quippē
beneuolum istud atq; benignum imper-
tiendi officium , meritum ei fiet vlteriùs
accipiendi, quod petit , iuxta illud, Date;
& dabitur vobis. E contrario, qui absco-
dit frumenta, maledicetur in populis.

Aug. epi.
132. O.
Bern. ser.
82. in
Cant.
Luc. 6.
Eccl. 14

Quinta conditio.

Quinto loco deuotis orationibus
deuotam, nec non frequentem subiun-
gat sacre eucharistiæ communionem.
Neque enim caritate solùm ter vene-
rabile istud sacramentum cordis valet
inflammare affectum , sed , si quidem
puro corde sumatur , animi etiam mi-
rificè illustat clarificatque intellectum.
Experimentum requiris , aut argumen-
tum ? Duo discipuli quando domi-
num Iesum variè secum differentem in
via, qua pariter tendebant Emmauntem,
& scripturas obiter aperientem , non in-
tellexissent, cognouerunt eum postea in
fra:

fractione eucharistici panis: quemadmodum annotatum reliquerunt Theophylactus, Bulgariae archiepiscopus, & venerabilis presbyter Beda. Notuimus omnes theologi iuxta & philosophi, quam magno, quamque perspicaci ingenio praeditus fuerit sanctus Thomas Aquinas. Verumtamen cum iam inde a prima ille infantia sua, deuotissime addictus seper esset dei genitrici Marię, & sacerdos postea creatus, satis non haberet, si singulis diebus domino deo suo tremendi altaris offerret sacrificium, nisi sua finita missa, alteri praeter ea cuiquam subministraret sacrificanti presbytero; factum est, ut plus oratio, quam studendo, in diuinarum rerum cognitione, profecisse memoretur. Neque verò difficile foret, similia de similibus quibusdam referre theologis alijs. Certè egregium illud ecclesiae lumen, d. Bernardus, singularis ille virginis deiparae amator, quicquid in scripturis sanctis valere cernitur, per ea, quae posteritati reliquit, monumenta (valet autem per plurimum) quicquid in eis spiritualiter sentit, nonne id in syluis maximè, meditando & orando, non inter alios magistros, quam quercus

*In vita
eius l. 1.
c. 4. & l.
3. c. 3. &
l. 5. c. 1.*

217 QVOMODO STVDENDVM
& fagos, (quemadmodum gratioſo illo
de ſeipſo ioco apud familiares ſuos dice-
re ſolebat) eſt aſſecutus?

Sexta conditio.

Sexto loco, iuxta communem omnium
ſanctorum theologorum conſuetudinē,
perpetuam quandam diligenter præſtare
contendat ſobrietatem ac temperantiam:
quando illecebriſis ventris & gulę volu-
ptatibus, haud aliter quàm lutulēto quo-
piam cœno, mētis humanę candor, hor-
rendum in modum, oblimari ſemper ſo-
leat. Si in ſacrarum ſcripturarum ſcientiã,
quæ vna ſuper omnes ſcientias nobiliſi-
ma eſt, volueris (ait quidam) proficere; cū
magno ſtudio oportet te abſtinere à deli-
cato cibo, & potu immoderato, & ad ne-
ceſſitatem dumtaxat parcius ſumere de
vtroque. Imo hoc illud eſt, quod per pro-
phetam ipſe luculenter hac de conditio-
ne edixerat olim nobis ſpiritus ſanctus,
vniuerſæ ſcripturæ ſanctæ autor ille pri-
marius. Cū enim beatiffimus Eſaias ſtylo
ſuo gulofos ſui temporis perſtringeret
ſacerdotes, quorum ex hominum ordi-
ne populus diuinę legis ſcientiam requi-
rere iuſſus erat: quem, inquit, do-
cebit

*Beda in
praſati.
medit.
domini
ca paſ-
ſionis.*

Eſa. 28.

cebit dominus deus scientiam, & quem
 intelligere faciet auditum? Deindeque sic
 ipse sibi respondebat: Ablactatos à lacte,
 auulsos ab vberibus. Sed enim: quis no-
 strum vidit vnquam sacerdotes ablactari,
 quis viros iã grãduos à maternis auelli
 vberibus? Atqui scriptura solui non po-
 test. Quem docebit dominus deus scienti-
 tiã, & quẽ intelligere faciet auditũ? & cæt.
 Hòc ergo fuerit ablactari à lacte, & ab vbe-
 ribus auelli, quod est auelli, ac segregari à
 carnalibus perediẽ bibesiẽque illecebris:
 quibus gulosi homines, haud ferè aliter
 quàm infantes vberibus & lacte, supra res
 omnes alias delectantur, firmissimẽque
 adhærescunt. Accedit sapientissimus Ec-
 clesiastes. Ille siquidem simulatque ani-
 mum suum constituisset transferre ad sa-
 pientiam, nũquid non præter orationis
 præsidium, vini sibi vsu interdixit? Nec
 prius superioribus sæculis ter magnus il-
 le Moses decalogum, moralis sapientiæ
 fontem, in mõte accipere meritis fuerat,
 quàm castigationi carnis, & per eam mē-
 tis nitidationi, quadraginta dierum, toti-
 demque noctium impendisset ieiunium.
 Vndè fit, vt iam commemorare hïc, aut
 P iij verò

*Theod.
Apol-
dian. l. 1.
c. 2.*

verò mirari quicquā, nil sit necesse, quomodo flammeus ille postea Dominicus, Dominicani ordinis patriarcha, quando primū ad diuinarum literarum studiū animum adiunxisset suum, ad decem annos ab omni abstinuisse scribatur potu vini, idque vt vberius hoc pacto haurire, & potare concederetur, de cælesti fonte sapientiæ salutaris, & illo se copiosius ingurgitare posset vino, de quo scriptū est,

Zach. 9. quod germinet virgines: sicut & castissimus integerrimūque, ad mortem vsque, virgo semper permansit: commemorare quoque necesse non sit, quomodo sublimis ille ecelesiæ catholicæ Atlas, seraphicum dico Franciscum, non prius sodal-

*Bonaue-
turæ in
vita
eius. c. 3.
c. 4.*

litio suo regulā scribere aggressus fuerit, quā & ipse in montem quendam secedens, compluribus ibi diebus, ad mentis obtinendam illuminationem, in pane i-

*Cassian.
v: supra.*

iunasset, & aqua, Omitto igitur cum innumerabilibus sanctis hominibus alijs, sanctissimum prophetam Daniele, virum illum desideriorum, qui in aulam regiam, vixdum adolescens, assumptus cum esset, in leguminibus & aquæ potu, cum sodalibus suis, deliciari nouerat: vtq;

Dan. 1. c. 9.

diui-

diui-

diui-

diuinis radiaretur illuminationibus, in ieiunijs nouerat, & sacco, & cinere deprecari dominum. Sanctum Timotheum filētio præterire non debemus, episcopum adolescentem, cuique, vt benè doceret alios, ipsimet discere adhuc erat opus, & lectioni attendere. Neque enim istum talem theologum apostolus Paulus, qui alicubi scripsit, bonum esse non bibere vinum, à solenni aquę potu, ad vini quamuis illum non nisi modicum seuo-
casset vsus: si nō stomachi infirmitates, eaque frequentes, illiusmodi mutationē postulassent. Absit enim, vt non optimè intellexerit gentium doctor id quod de laudibus temperantię, ad illuminationem intellectus, quod attinet, quotannis nobis ecclesia per quadragesimam recinit, ieiunio vitia comprimi, & mentē eleuari. Parum istam, quam sexto nunc loco persecuti sumus conditionem, imò nihil curauit Martinus Luterus: vtpote quem in tantum gastrimargię deditum, & vsque adeò lemargię subiectum fuisse in gestis eius memorię prodiderit cuius quidam Mässfeldensis, & post illū Ioānes Coclæus, vt singulis diebus, ad mensam

P iij meri-

meridianam, ordinariè ingurgitaret sextarium vini dulcis, & exotici (nos hîc lotum vocamus) ac tâtundem superadderet in cœna: quique pro publica cõciõne in huiusmodi, cõtra deuotã orandi consuetudinem, erumpere blasphemias quandoque voces non erubuerit; Quid orare? Quid orare? Orando parum proficies coram deo. Sic enim de turbulentissimo hoc nostræ tempestatis pseudopropheta memoriæ prodidit Georgius VVicius, longo tempore eius discipulus: sed qui postea ad catholicam reuersus sit ecclesiam, próque ea plurimum laborarit. Parum præterea cõditionem istam curauit logodædaltus Lutheri, & in doctrina filius ipsius primogenitus, Philippus Melanchthon. Etenim, vt in laudibus istius hominis ipse eius familiarissimus quidã, amantissimúsque recenset amicus, Ioachimus Camerarius, & ipse pullus Luternus non minimus, non solũ delectabatur grammaticus ille theologaster, sed valdè etiam delectabatur, non adolescens modò, sed etiam grandæuus, copiola quadam boni & egregij potus. Verùmenimvero quanto illi curauerunt minùs, tanto

*In opus.
quod de
orat. scri
psit cõ-
tra Lu-
teras.*

nostro

nostrorum est curare magis, ne in eadem
 cū ipsis, aut similem aliquam aliā incida-
 mus calamitatē etiam grauiorem. Nā que
 dum cōtra solennem sanctorum docto-
 rum consuetudinem sic noui isti homi-
 nes, & noui, si superis placet, theologi
 potatoes, diuinis voluerunt studere lite-
 ris, sic inquā, vt nihilominus genio quo-
 que suo suauiter pergerēt indulgere: quid
 tandem apud Germanos suos aliud, per-
 uerso suo studio, peruersisq̄ suis inter-
 pretationibus, quā de euangelio Christi,
 hominis fecerunt euangelium: & quod
 peius est, euangelium diaboli? Quemad-
 modum scribens in caput primum ad
 Galatas loquitur d. Hieronymus. Quāto
 sapientiū, quāto notabiliū, & ad omnē
 theologorum memoriam quanto mira-
 biliū sanctus Gregorius Nazianzenus,
 cognomento theologus? Nam ille quidē,
 quādo magni philosophi Basilij, eiusdēq̄;
 ter magni theologi, ad omnē posteritatis
 memoriam commēdaret vitam, & obiter
 indicaret, qualiter in diata deceat vt se
 philotheologus gerat, vel theologus; sin-
 gulares prāstantissimi huius viri, & sum-
 mi theologi lauitias, non nisi in pane, &
 quidem

*In vita
 s. Basilij.*

*Amphi-
lochius.*

quidem hordeaceo (quemadmodum re-
tulit quidam alius) & fale cōstitutus fuisse
commemoratur, illóque in potu, quem co-
piosum hominibus, sine vlló agricultura
labore, suppeditare solent fontes aquarū.

Septima conditio.

Quare genialibus istis nimiū, nimiūm-
que bacchanalibus contemptis prorsus
atque relictis theologis (si modo tali vo-
cabulo tales appellare homines nefas nō
est) verus noster philotheologus, his om-
nibus, quæ recensuimus, adminiculis su-
peraddat septimo loco frequētissimam
meditationem finis, propter quem euan-
gelicam doctrinam, literarum vt nobis
monumentis consignata relinqueretur,
spiritus sanctus non sine singulari prou-
dentia accuratum voluit. Est autem finis
ille, vt cognoscētes quia Iesus Nazarenus
est Christus, obediēter eum audiamus;
quæque nos facienda docet magister ille
coelestis & vnicus, vel credēda proponit,
ea indubitanter credamus, & hilariter fa-
ciamus omnia. Prophetā (ait deus pater
ad Mosen, Israēlitis Christū promittens)
suscitabo eis, de medio fratrum suorum,
similem tui. Qui autem verba eius, quæ
loque-

loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Et postea iterum, quando iam eum, iuxta promissionē suā, in mundo suscitasset, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. *Matth. 17*
 Ipsum audite. Quin & ipse dominus Iesus Christus, promissus ille propheta, Si *Ioan. 13*
 hęc scitis (dicebat discipulis suis) beati eritis, si feceritis ea. Alioqui seruus sciēs voluntatem domini, & non faciens, quid aliud quàm vapulabit, & quidem multis?
 Oportet igitur, vt quisquis vtiliter sacrosancto Iesu Christi euangelio studere cupit, *Luc. 12.*
 nō otiosum, sed actuosum, se præstet lectorem, vel auditorem, in eóq; assiduè, tanquam in nitidissimo quodam contempletur speculo, qualis sit, aut non sit: & se qualem, iuxta euāgelicam normam, *Greg. l. 2 mor. c. 1. c. 1. c. 27.*
 esse oporteat, in omni humilitate, in omni mansuetudine, in omni patientia, in misericordia, in longanimitate, in obedientia, in amore paupertatis, in contemptu sui, denique in fide, spe, & caritate. Longum foret omnia persequi. Attamē quas produximus virtutes, vltima hoc primum propriúmque sibi vendicat, vt non quæramus quę nostra sunt: sed dominum

225 QVOMODO STVDENDVM
minum deum nostrum, qui ad impen-
dium vsque vnigeniti sui filij, nos prior
dilexit, in omnibus vicissim, & super om-
nia diligentes, nos nostraque omnia ad
illius semper conferamus gloriam, vnde
omnia profluxerunt, aut profluunt, ope-
rantes hoc pacto nostram pariter & proxi-
morum nostrorum salutem, cum timore
& tremore; ne forte pereffluamus. Hic
siquidem euangelij, quinimò reliquæ
scripturæ omnis, vnicus existit finis. Est-
que nimisquam indignum, vt qui finem
quocunque in rerum genere non curat,
aut negligit, illi quantumcunque peten-
ti & obsecranti, de medijs, quibus ad
finem veniatur, liberaliter prouideatur.
Itaque vt quam modestissimè loquamur,
perperam omnino & frustra, in cælestiū
se scripturarum comparanda scientia di-
uinitus adiuuari flagitat, quisquis quæ in-
de facienda esse iam nunc sic satis per-
spexit, eorum in actione se exercere non
curat. Nec vnquam, quisquis ita in cælestiū
se studio comparare voluerit literarum,
genuinam earum, quæ quantaque sit,
medullitus gustare poterit suauitatem.
Nunquam, quò tamen veris & theo-
logis

Iogis & philotheologis semper enitendū
 est omnibus, vsu sibi venire sentiet, id
 quod de s. Hierotheo, theologo insigni
 insigniter annotauit beat. Dionys. Areo.
 pag: ὅτι γε ἢ ἔμῳ τὰ θεῖα μαθῶν, ἀλλὰ
 καὶ παθῶν. Contrà autem: quàm dulce
 philotheologis, quàmque memoratu
 iucundum, sanctum Antonium ana-
 choretam, simulatque adolescens ad-
 huc ac penè puer, simplex, & idiota, il-
 lud in ecclesia semel recitari audiuiſſet:
 Si vis perfectus esse, vade, vende quæ ha-
 bes, & da pauperibus: & habebis the-
 saurum in cælo, tanquam si quod audi-
 uerat, sibi peculiariter recitatum fuisset,
 mox manum ad aratrum vt mitteret
 properasse: quò ita quod legi audiue-
 rat, deduceret in opus; deindeque tanta
 in solitudine eum sine magistris homi-
 nibus, sed non sine pijs meditationum
 & orationum exercitijs, affluere cœpif-
 se sacrarum scripturarum scientia: vt ad
 debellandam postea cum episcopis ca-
 tholicis & sacerdotibus immanem Aria-
 norum hæresim, monachi quoq; huius
 ex eremo sua in urbem Alexandrinā, ab
 episcopis euocandum fuerit auxilium?
 Quàm

De diuini
 nominis
 cap. 2.

Math. 19

117

Quàm item memorabile, quàmque; recogitatu iucundum, & alterum illum posterioribus deinde seculis idiotam longè nobilissimum, s. Franciscum Assisium, quum totus eo flagraret studio, vt quam in euangelio domini nostri Iesu Christi cunctis benè viuēdi propositam esse cernebat regulam, ad eam vitæ suæ mores, & actiones quàm exactissimè amussatimque conformaret omnes, tam inde sublimi tamque profunda diuinorum mysteriorum diuinitus imbutum fuisse scientia: vt in admirationem sui homo simplex & sine literis raperet magnos etiam sacrarum literarum doctores? Sic enim de eo posteritati scriptum reliquit

Vita eius
c. 12.

autor fidelissimus, s. Bonauentura: *Quærentibus aliquando fratribus, vtrum placeret, quòd literati iam recepti ad ordinè intenderent studio sacrę scripturæ, respõdit: mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, quàm legisse, orationis studiū nō omitant. Nec tamen studeant, vt sciant qualiter debeāt loqui: sed vt audita faciant, & cùm fecerint, tum alijs facienda proponant. Interrogatus autem Senis à quodā*
reli.

religioso viro, sacrae theologiae doctore,
 de quibusdam questionibus difficilibus
 intellectu, tanta celeritate doctrinae diui-
 nae sapientiae patefaciebat arcana: vt ve-
 hementer stupeat vir ille peritus, & cum
 admiratione referret: Verè theologia
 sancti patris istius, puritate & cōtempla-
 tione, tāquam alis in altum subuecta, est
 aquila volās. Nostra verò scientia ventre
 graditur super terram. Iamne igitur clarè
 perspicias, vt fructuosè euangelio studea-
 tur, magnisque cum incrementis scientiae:
 quantum ponderis sit in seria meditatio-
 ne finis, qui utiq; in actione consistit ear-
 rum rerum, quarum cognitionem iam
 antè sumus adepti? Nec mirum. Quid
 enim hac de re ipse nobis magnus ille
 succinit propheta Dauid? Mirabilia do-
 mine testimonia tua: ideo scrutata est ea *ps. 115.*
 anima mea. Verùm quae scrutata est mira-
 bilia anima tua, mirabilis Dauid, ad illo-
 rum qua tandē peruenisti via, quòue mo-
 do intelligentiam? An legēdo dumtaxat,
 & relegendo, atque studendo? Ausculta
 quid tribus verbis respondeat. A manda-
 tis tuis intellexi. Hinc sanctus Hilarius
 in prologo suo super psalmos Dauidis,
 Prius

Prius, inquit, in bonis operibus viuendū est; vt perfecta possit esse ea quæ deinceps succedit diuini sacramenti cognitio, secundum id quod dictum est, Desiderasti sapientiam? Serua mandata, & dominus præstabit tibi eadē. Præstat ergo dominus sapientiam his, qui per meritum operū, gratiam intelligentiæ consequuntur, &c.

*Idem ad
Paulam
Vrb. c. 3*

Nec aliter in proœmio suo super lamentationes Ieremiæ b. Hieron. Quomodo, ait, in triuialibus literis non potest quis ad legenda verba contexendaque procedere, nisi prius ab elementis cœperit: ita in scripturis diuinis non valemus ea quæ maiora sunt nosse, nisi ab ethica in ipsis habuerimus exordium, secundum illud, quod dicit propheta, A mandatis tuis intellexi: quod videlicet post opera cœperit habere scientiam secretorum. Sic illi eminentissimi ecclesiæ doctores duo de veteris instrumenti libris. Cæterum cū & euangelicæ nunc scripturæ mirabilia sua habeant multa, & magna nimis: idcirco vt & illorum salutarem fructuosius intelligentiā assequamur: diligens similiter necesse est vt & hîc nobis opituletur omnium exercitiū mandatorum, nec nō

pia

pia subinde succurrat sanctissimorū, quæ
 in illarum lectione passim occurrūt, me-
 ditatio quorundam etiam consiliorum.
 Discipuli duo, ait Greg. magnus in hospi-
 tio mensam domino proposuerunt, pa-
 nēsque & cibos apposuerūt; & deum, quē
 per viā in antecedente sacræ scripturę ex-
 positione, capti oculis non cognouerāt,
 in panis postea fractione, & hospitalitatis
 officio cognoscere meruerunt. Audiēdo
 ergo mysteria dei, illuminati nō sunt: fa-
 ciendo præcepta, illuminati sunt. Quo-
 circa quisquis vult audita intelligere, fe-
 stinet ea, quę iam audire potuit & intelli-
 gere, opere implere: atque ita demum a-
 liorum vlteriùs, quæ etiamnum obscura
 ei sunt, donādum sibi expectet intellectū.
 Nā quòd, nescio quis profanus fortassis
 Esau, nescio quem alium, quàm qui nūc
 indicatus est, vellet sibi imaginari finē, &
 in sacræ theologiæ studio triuiales illos
 spectare cogitaret versiculos, Dat Gale-
 nus opes, dat Iustinianus honores: Sed
 genus & species cogitur ire pedes: illiuf-
 modi hominis studium, quàmque studē-
 do talis sibi homo scientiam comparare
 desideraret, audi quæso, quā horribiliter,
 Q per

Grego.
 ho. 23.
 sup.
 euange.

Aug. cō-
 tra
 Faust. l. 1.
 16. c. 32.

231. QVOMODO STVDENDVM

per apostolum Iacobū, percellat spiritus sanctus. Quis sapiens & disciplinatus inter vōs? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientię. Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. Non id quidem propter rem, sed propter finem nimisquā peruersum. Terrena, propter terrenas opes & diuitias, quas illiusmodi studiosus ex ea veneretur. Animalis, propter ventris, & gulę bona, quibus communi animalium more vita etiam sustentatur humana. Diabolica, propter sublimes dignitates, & ambiciosos honores, quos tanto auidius esurit, & sitit semper, cum cacodæmonibus suis, superbissimus spiritus diabolus, quanto minus ad substantiæ suę sustentationem, cibo, potu, opibusue vllis indiget terrenis. Audi præterea quid de illiusmodi peruersissimo studio intonet apostolus Paulus: Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorū finis,

in:

*Iac. 3.**Thom.
sup. illis
locum.**Philip. 3.*

interitus: quorū deus, venter est: & gloria
in confusione ipsorū, qui terrena sapiūt,

Octava conditio.

Postremò, quicquid his & similis
generis alijs quibusdam obseruatis cōdi-
tionibus profecisse se viderit philotheo-
logus noster, deo opt. max. quā potest
maximas semper & veras, ex vera cordis
deuotione, agat gratias, animitusque ag-
noscat, & ingenuè prædicet, illum esse, à
quo vno tanquam à patre luminū, omne
datum optimum, & omne donum per-
fectum descendat. Pietas enim est sapien-
tia, dixerat ille. Et de acceptis quidem
muneribus gratitudo nouam semper a-
liquam eblandiri quiuerit, ab autore illo-
rum, accessionem. Ingratitudo verò id
efficit, vt & quę semel prærogata sunt, a-
mittere qui accepit commereatur. Qua-
propter si in ceteris diligens, hac in con-
ditione vltima negligens esse volet & su-
pinus, quem iuuare studemus philotheo-
logus, adeò nihil egerit, vt quo intentius
studere perrexerit, eo vehementius timē-
dum fuerit: ne omne tandem ipsius stu-
dere, stultum (quod aiunt illi) sortiatur in
supino. Neque verò iam subridendum;

Q ij sed

sed toto magis corpore simul & animo
exhorrescendū hīc fuerat. Nūquid enim
in prōptu nō sunt, & quidē ex ipsis petita
diuinarū scripturarū instrumētis, oppidō
quā manifesta exēpla? Reuelatur ira dei,

Rom. 1. clamat apostolus Paulus, de cælo super
omnē impietatē, & iniustitiam hominū,
qui veritatē dei in iniustitia detinēt. Quia
cū cognouissent deum, non sicut deū
glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed
euanuerunt in cogitationibus suis, & ob-
scuratum est insipiens cor eorum. Di-
centes enim se esse sapientes, stulti facti

3. reg. 11 sunt, & cæt. Et quid, obsecro, sapien-
tius quondam Salomone? Attamen
quid eodem sub senecturē stultius: quan-
do nimium sibi ad extremum de sapien-
tia sua, quasi sua, placere incipiens, pa-
rūmque memor illius, à quo donāte ac-
ceperat, ex pede tandem superbiæ, in il-
lud vsque, per ingritudinem, prolapsus
fuit profundissimum insipientiæ bara-
thrum; vt tot adoraret idola, & tot ido-
lis tot exēdificanda curaret delubra, quot
haberet vxores alienigenas? Habebat au-
tem complures. Quòd si quis idolola-
triæ periculum non multum, nunc qui-
dem

dem temporis, extimescendum sibi arbitretur: scilicet quia sæuientem eius olim tyrannidem, aduentu iam suo, iuxta prophetarum oracula, fregerit Iesus Christus: quæ tamen securitas nobis minimè probaretur: at profana saltem hæreseon & execranda figmenta, quæ apud Christianos (prò dolor) sunt instar idolorū, quis prudens non vehementissimè timeat? Me quidem terrent per plurimū, atque vtinam quantum satis est, cautum etiam facerent aliena pericula: vt sunt exempli causa, Tertulliani, Origenis, & quorundā aliorum minimè paucorum. Ordinem autem hanc, quam promissimus, compendiariam euāgelicæ doctrinæ expositionē, nō à diuo Luca, aut Ioanne, vt constitutum fuerat, & ordo postulare videbatur: sed à Mattheo, idq; duabus de causis. Prior est, quòd cōsultissimi quidā viri censeāt, quā semel isto in enarrando euangelista posuimus operam, ingentem ex ea ad studiosam iuuentutem redire potuisse utilitatem, si non labor noster vbique ferè in commētationem exiuisset nimis operosam, & ad hyperbolen vsque, vt putabāt, prolixam: si scholastica spectetur docēdi ratio.

*Esa. 2.
Zach. 13*

*Vincens.
Liri. con-
tra hæ-
reses. Lu-
cifer da-
regib,
apost.*

235 QVOMODO STVDENDVM
ratio. Hac autem vtilitate non esse fru-
strandos, qui in præsentiarum theologia
studēt, & alteram illam nostram exegetin
non audierunt. Secunda causa est, quòd
schola hæc theologica in eum præcipuè
fit instituta finem, vt exulceratissimis
hiscè temporibus, contra satanianas infi-
dias, & machinationes multas & varias,
ecclesijs Christi de bonis melius provi-
deri possit pastoribus. Est siquidem illud
potissimum bonorum pastorum officium,
vt suis quisque ouibus præcipuè ob ocu-
los ponant, commendent, & incessanter
prædicēt vitam & doctrinam liberatoris
nostri Iesu Christi. Cùm autem quæ huc
pertinent, nemo euangelistarum vnus
conscripserit omnia: certè ad pastorale
munus quod attinet, vt primo inter euā-
gelistas diuus Matthæus ponitur loco, ita
& præcipuè ab illis omnibus legendus
semper, & relegendus esse videtur, quasiq;
memoriter ediscendus, qui pastora-
lem functionē vtili cum dignitate obire desi-
derant. Sanè cùm admirabilis ille Domi-
nicus, prædicator flammæus, & heretico-
rum sui sæculi malleus omnino ferreus,
fideliter hortaretur fratres suos, vt sem-
per

per in noui & veteris testamenti versarē-
 tur lectione, si vocationi, qua ad prædi-
 candum vocati erant, ex animo, vt debe-
 bant, cuperēt facere satis: ipse semper secū
 circumferre solebat euangelium secundū
 Matthæū, adeoq; in eo multū lectitabat,
 vt propemodum totum teneret memo-
 ria. Nec dissimile est, quod ex nouo
 nunc orbe, de nouo quodam prædi-
 catore, Paulo Iaponio, epistolæ nobis
 memorant Iaponicæ. Imò orbis antea
 terrarū doctōr, apostolus Barnabas, quā-
 do iuxta iniunctam sibi legationem, pas-
 sim per mundum, & varias apud gentes,
 euangelicæ doctrinæ dispergeret semen:
 vsque adeò, euangelium secundum Mat-
 thæum in delicijs habuissē, sempërque in
 sinu gestasse legitur; vt moriturus cū esset,
 ipsum sibi propria antè manu descriptū,
 etiam sepulto voluerit consepeliri. Quē-
 admodum & factum fuit. Nec est quod
 quisquā studiosorū, hæc dū audit (vt secu-
 laribus in doctrinis philomusi loquun-
 tur seculares) de crābe bis posita quicquā
 timeat. Nam vt deus ipse est infinitus: ita
 & verbum eius infinitam quandam cō-
 tinet semper fœcunditatem. Ex quo fit,

Q iij vt

Theodor.
 Apold. l.
 & ca. 4.

Chryf.
 de Anna
 hom 3.
 & 5.

vt quantumcunque & multa & varia in illius dicatur interpretationem: plura nihilominus, & quidem ijsdem etiam ex locis, tum noua, tum vetera eruenda semper restent: quæ & magna cum utilitate, in medium adhuc proferri, & pari cum iucunditate studiosis auditoribus, velut spiritualibus conuiuiis, ad vescendum, fruendumque apponi queant. Quod quidem vt nobis quoque in hac iterata, quam cogitamus, contingat diui Matthæi expositione, ille (spero) vestris mediantibus orationibus, per spiritum suum sanctum, concedet, qui est vnus omnium magister, Iesus Christus, benedictus in secula, Amen.

*Tractatum hunc de clericorum cohabitatione cū
fœminis distinctū in quinque sermones, cū duabus
orationibus, vna de vera, qua quondam apud gen-
tiles fuit, idololatria interpretatione falsa contra
Caluinū, altera, qualiter comparatus esse debeat,
qui rectè euangelio studere cupit, maximo fructu
legentium euulgari posse censeo.*

Guilielmus Estius sacrae theologiae
doctor.

*Tractatum hunc de clericorum cohabitatione
cum fœminis pium, doctum, ac grauem, vti-
lissimè excudi posse, vnà cum duabus supra-
dictis orationibus similiter valdè bonis ac
eruditis censeo.*

*Antonius Surius sacrae theologiae
doctor.*

*Libros hos quatuor, tractatum scilicet quinquepar-
titum de clericorum cum fœminis cohabitatione,
& orationes tres, quarū est prima de vera ethni-
corum idololatria, contra Caluinum, altera de
speciali dei auxilio, iustis ad perseuerandum ne-
cessario, postrema de his qua obseruare debeat sa-
crarum literarum studiosus, maxima lectorum
utilitate excudendos indico.*

Bartholomæus Petrus sacrae theologiae
doctor.

QVONIAM CHAR-
TARVM ALIQVID REDVNDAT

SVB IIC IEMVS HIC PLE-
nius sententiam s. Basilij, quæ bre-
uiter posita fuit fol. 86.

Basil. asceticarum constitutionum cap. 3.

Oportet non modò regere cogi-
tationes, sed quoad eius fieri po-
test, ab earum etiam accessione
quasiq̃ colloquio disungi:
præsertim quæcunq; dum appropinquât
passionésq; nobis in memoriã redigunt,
rationem turbant atque cõfundunt, bel-
lâque & pugnas cient in anima. Etenim
quod nobis inuitis ingruit, capessere bel-
lum, necessitatis fuerit: sed quod sibi ipse
quispiam volens excitare præsumat, id san-
nè à ratione fuerit alienissimum. Namq;
in priori qui succuberet, veniam ille for-
tassè consequeretur, quod tamen absit à
Christi militibus. At verò in posteriori
quem superari contingeret, præterquam
quòd is irrisionibus foret dignissimus, e-
tiã ab omni venia excluderetur. Oportet
igitur mulierũ quoque colloquia, & cõ-
gressiones quàm maximè fugere, nisi in-
cui-

euitabilis aliqua aliter cogat necessitas. Et quando talis quidem aliqua nos deprehendit necessitas, nō aliter quā ab igni tunc cauere, perniciosissimāsque & celeres facere secessiones conuenit. Vide autem quid hac de re dicat sapientia, Alligabit aliquis ignem in sinu: uestimenta verò nō comburet? Aut ambulabit aliquis super ignem carbonum; & pedes non comburent? Quod si autem quis dicat, se nihil ea ex re nocenti sentire, quod mulierū accessibus frequentetur, aut cum eis familiarem vt plurimum cōsuetudinem habeat: hic virilem nō participat naturā, sed est res quæpiā prorsus absurda, quasi si in medio masculini & foeminini sexus constitutus foret, cuiusmodi illos appellant homines, quos à natiuitate contingit esse eunuchos; si modò talibus donādum, quod nulla in foeminas vnquam passione commoueantur. Nam vt sapiēs ait, concupiscentia eunuchi de uirginauit iuenculam. Aut si virilis non est expers naturæ, iam nil sentit, quum passionibus interim submergatur: haud ferè aliter quā ebrij & phrenetici, qui etiāsi grauissima patiantur, extra omnē tamen se putant

tant

tant esse passionem. Attamē quod extra omnem consistit rationem, verbis fingamus; nempe esse aliquem, qui viri passione nō pungatur. Verumenimvero etiāsi ipse nihil patiat virile, haud tamen alijs facile persuaserit, nihil tale se pati. Iā verò quod quis nullo bono proposito facinore aut virtute, populum scandalizet, id apud autorem arbitror non carere periculo. Deinde est hīc & aliud quiddam videre. Nā vt maximē in cogitationibus suis vir nullum acciperet nocentū & corruptelam: at non ita de fœmina contēdet: quasi & illa extra corporis affectiones sit posita. Sed illa, quum ratione sit infirma, habeatque procliuē valdē, adeoque præcipitem, illiusmodi ad passionē, naturā, fit vt frequenter aliquid patiat per illum, qui incautē præsentiam eius admittit. Atque ipse quidem vulneratus nō fuit, sed vulneravit frequenter etiam nescius. Et sub prætextu spiritualis caritatis frequentās ad virum virtutis cultorem muliercula accessiones, incipit se per oculos peccato ingurgitare concupiscētiæ, & lasciuos suos per obtutus, proximi sui sese vultu & specie pascit, suāmq; virginita-

ginitatem internam, quam sponsus Christus amat præcipuè, impuris constuprat cogitationibus. Quare quò nihil horum contingat malorum, consentaneū fuerit, vt, si quidem ita fieri potest, in vniuersum mulierum vitemus consortia: sin minùs, at frequentes saltem earum atque protēfos deuitemus sermones, & congressiones. Non quasi genus ipsum odissemus, absit hoc: nec ita, quasi earum abnegaremus cognationem; sed vt eos decet qui præsunt, & vt quantum fieri potest, proximus cū alijs quidem foeminis omnibus, vtpote quæ eādem omnes obtineāt nobiscū naturā humanam, tum ijs præcipuè, quæ sancta pro puritate seu castitate certamen susceperūt, & simili nobiscum quasiq; germana in pugna versantur. Sic illarum debemus vitare familiaritatē, vt ne à qua abhorremus passione, quæque nobis prohibita est, de illa in mentē cogitare veniat. *Εν προσηγορίᾳ δὲ ἦθεν πνευματικῆς ἀγάπης τὸ γύναιον συνεχῶς πρὸς τὴν ἀσκητὴν ἀφικνέμενον, ἀρχεται δι' ὀφθαλμοῦ τῆς ἀμαρτίας ἐμφορηθῆναι, καὶ ἀκολούτοις ὀμμασι τὴν τῶν πλησίων ἰδέαν ὀπίσκεισθαι, καὶ τὴν ἐνδοῦ παρθένον, ἥς μάλιστα*

μάλιστ' ὁ νυμφίος ἐρᾷ, τοῖς ἀκαθάρτοις λογι-
 μοῖς ἀφαιρεί. ὡς ἂν τοῖν μὴδ' ἐν τῷ εἰρη-
 μένων Συμβαίῃ, φυλάττεισθαι παρορῶν, εἰ μὲν
 οἷόν τε, καὶ παντελῶς; εἰ δὲ μὴ, τὰς γὰρ Συχνὰς καὶ
 ὄπιτεταμένας ὀμιλίας τῶν γυναικῶν καὶ Συτυ-
 χίας, ἔχως μισθῶντας τὸ γένος, ἀπαγε, ἔδ' ὡς
 ἀπαρηγμένους τῶν ἐκείνων Συγένεσαν, ἀλλὰ καὶ
 παρορῶν καὶ ὀφελῶντας τὰ δυνατὰ πᾶσαν
 μὲν κοινωνῶσαν τῶν ἀνθρωπίνης φύσεως, ἔξαιρέτως
 δὲ τὰς τοῦ ὑπὲρ τῆς ἀγγείας ἀγῶνας ἀνελωμέ-
 νας, ὡς τὰ ἀδελφὰ ἡμῶν Συβαθλῶσας, τῶν δὲ
 συτυχίαν φυλαττομένους, ἵνα μὴ πάσης ὀπα-
 ρητημεθα, καὶ ὡς ἀπορηρεῦσα μὲν, ὑπόμνημα γέ-
 νηται.

Coll. Sav. Lib. Gesen. Paderb.

ERRORVM QVORVNDAM typographicorum correctio.


Charta 14 facie 2. in margine lege lib. 1. Charta 17. linea prima lege virtutum. Charta 41. linea 13. lege sarmentis. Charta 74. linea 10. lege intrabant Charta 82. linea 16. lege indifferenter. Charta 96. linea 3. lege in presentiarum. Charta 103. linea 24. lege Foroiulienfis. Charta 104. linea 2. lege legatur. Charta 115. linea 12. lege Reddamus tantum latinè. Charta 130. linea 14. lege dea Sidoniorum. Charta 131. linea 1. lege eruditus. Charta 132. in margine lege, Theodor. in exodum. Charta 137. linea 7. lege *ἡσυχία*. Charta 152. linea 14. lege in margine, iuxta septuaginta. Charta 157. ut insigniti debuerat, linea quinta ab imo lege, quandoque. Charta 106. litera O linea 8. lege Melanchthoni. Charta 108. litera O linea infima lege inter. Charta 111. litera O linea 17. lege conciliet. Charta 113. litera O linea ultima lege, valdeque hebeti. Charta 115. linea 7. ab imo lege illustrat. Charta 221. linea 1. lege nostrum. Charta 226. linea 8. omisum est in margine. Hieron. ad Castorium tom. 2. epistolarum. Theodoret. lib. 4. historiar. ca. 27.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ
ΕΡΕΜΙΑΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ
ΕΡΕΜΙΑΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ
ΕΡΕΜΙΑΣ

νας, ως τὰ ἀδελφὰ ἡμῶν (ἰωαφλῆσας, τὸ ἐ-
συντυχίαν φυλατιομένους, ἵνα μὴ πάθῃς ὅπα-





Handwritten text, possibly a signature or date, located in the lower center of the page. The text is faint and difficult to decipher, but appears to be written in a cursive or Gothic script.







Th
2579

